EMENDATIONES ET INTERPRETATIONES
SOPHOCLEAE.

COLLEGIT, RETRACTAVIT, NOVAS ADDIDIT

GERH. HENR. MUELLER.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXXVIII.

GUILIELMO SCHUPPIO,

PROFESSORI GRYPHISWALDENSI,

AMICISSIMO,

PIO ANIMO AC GRATO

HUNCCE LIBELLUM QUI SCRIPSIT

D. D. D.

Lecturis.

Quum muneris officio neque tamen invitus commotus essem, ut programmatarii provinciam susciperem, quae iam diu in lectitando poeta alio quo ceteri interpretes modo emendanda vel interpretanda censebam, ea publici iuris feci in Gymnasii Wongrovicensis libellis scholasticis hui. saec. annis LXXVI et LXXVII. Et libere profiteor me cum metu aliquo exspectavisse, quid artis criticae Sophocleae viri peritiores de meo labore sentirent, quippe qui negotiis scholasticis maiorem partem obligatus, quam studiis litterarum voluntariis occupatus sim. Quum autem praeter spem mihi obtigisset, ut N. Wecklein Bambergensis et R. Schneider Berolinensis meam in emendando poeta operam laudarent, animo confirmatus, quae minus bene elaborata protuleram, retractavi et novas emendationes atque interpretationes addidi. Ita emendationibus veteribus collectis et retractatis et novis additis opusculum prodiit, quod ut probetur viris criticis vel maxime optaverim. Atque ut quasi conspectum libelli hic edam, novae emendationes prolatae sunt ad poetae versus in Aiace 208, 1003 sqq., in Electra 363 sq., 515, in Oedipo Tyranno 216 sqq., in Oedipo Coloneo 1457, in Antigona 24, 467, 1281, 1339, in Trachiniis 145, 549, fragm. 58 D; veteres emendationes plus minusve retractatae sunt Ai. vv. 599 sqq., El. vv. 495 sqq., v. 534, O. C. vv. 47 sq., v. 380, v. 702, vv. 800 sqq., v. 846, vv. 1435 sq., vv. 1560 sqq., Ant. v. 138, v. 614, Trach. vv. 108 sqq., vv. 854 sqq., vv. 947—970; immutatae manserunt Ai. v. 60, v. 190, v. 405, O. T. v. 50, O. C. vv. 1019 sqq., vv. 1534 sqq., Ant. v. 1225, Trach. vv. 55 sq., v. 305, v. 526, Phil. vv. 159—161, v. 290, v. 691.

Neque hoc mihi improbaturos spero vv. doctos, quod nonnullas emendationes, quas iam ab aliis profectas esse sero cognoveram, retinui. Quas quum ipse excogitaverim, meas emendandi rationes attuli, quibus nescio an vv. dd. majorem fidem habeant quam iis quibus priores auctores suas probasse sibi visi sunt.

Neque enim id solum referre puto emendationem inveniri, sed etiam rationes atque argumenta afferri, quibus quam necessaria atque probabilis sit demonstretur. Inter omnes enim constat, quanta sollertia atque cura antiqui scriptores verba sua composuerint. Quod cum ex multis aliis grammaticorum scriptis apparet, tum ex Dionysii Halicarnassensis de verborum compositione libro, maxime vero ex eius capitis V verbis: *πολλὴ πρόνοια τοῖς ἀρχαίοις ἦν καὶ ποιηταῖς καὶ συγγραφεῦσι, φιλοσόφοις τε καὶ ῥήτορσι τῆς ἰδέας ταύτης· καὶ οὔτε τὰ ὀνόματα τοῖς ὀνόμασι οὔτε τὰ κῶλα τοῖς κώλοις οὔτε τὰς περιόδους ἀλλήλαις εἰκῇ συνάπτειν ᾤοντο δεῖν· τέχνη δέ τις ἦν παρ᾽ αὐτοῖς καὶ θεωρήματα, οἷς χρώμενοι συνετίθεσαν εὖ.* Quam igitur artem antiqui ad componenda verba adhibuerint, eam non solum cogitationibus argumentis non firmatis, sed via ac ratione restituamus oportet, ut tandem aliquando de singulis locis, quoad eius fieri possit, vv. dd. consentiant. Fieri autem non potest quin emendanti critico eadem quae iam aliis in mentem veniant. Quodsi igitur emendatio veteris critici neglecta iaceat, quod nullis aut infirmis argumentis confirmata est, posterioris critici eandem emendationem aptis rationibus comprobantis opera non silentio tanquam inutilis praetermittenda, sed ut laude digna commemoranda est. Ceterum si, quae in hoc libello exposita sunt, forte iam ab aliis me nescio prolata sint, ea me suis auctoribus restituta velle diserte pronuntio. Qua in re spero fore ut mihi excusatio sit, quod in oppido a litterarum commercio remotissimo praeter pauca, quae mihi suppeditabant, litterarum subsidiis quae quidem sufficiant prope destitutus sum. Accedit quod sede ante hos paucos annos mutata ne eos quidem libros, quibus usus eram, recuperare potui.

Reliquum est ut iis, quibus mea in poeta vel emendando vel interpretando opera probata sit, quam possum maximas agam gratias.

Datum Wongrovico.

Emendationes et interpretationes Sophocleae.

> **Nos qui sequimur probabilia nec ultra id quod veri simile occurrerit progredi possumus, et refellere sine pertinacia et refelli sine iracundia parati sumus.**
> **Cic. disput. Tuscul. II, 2, 5.**

Quum plurimis scriptoribus Graecis et Romanis, tum in primis Sophocli nostris demum temporibus contigit, ut eius libri manu scripti ita perquirerentur, ut quae sit eorum inter se similitudo atque ratio tandem iudicari possit. Nam quum anno huius saeculi Petrus Elmsley codicem Sophoclis Laurentianum bibliothecae Florentinae plutei XXXII, 9, qui notatur La, scriptum in membranis saeculo decimo vel ineunte undecimo accuratius contulisset et Cobet Batavus in oratione de arte interpretandi, Lugd. Batav. 1847, unicum eum Sophoclei contextus fontem esse contendisset, mirum quantum excitata sunt studia vv. dd. ad perspiciendam librorum Sophocleorum rationem. Atque primus quidem G. Dindorf a Friederico Duebnero impetravit, ut librum denuo accuratissime conferret. Quo collato Batavum secutus omnes qui exstant Sophocleos libros manu scriptos Laurentiani quem diximus apographa esse statuit, quorum praeter codices Triclinianos duo genera distinxit, alia antiquiora et quae propius ad codicem Laurentianum accedant, Parisinum n. 2712, sigla A notatum, saeculi tertii decimi et Florentinum n. 2725, *Γ*, saeculi quarti decimi et Laurentianum plutei XXXI, 10, Lb, saeculi quarti decimi, alia recentiora. Sed quem ipse summae in restituendo poetae contextu auctoritatis habebat codicem quingentis fere locis deserere coactus est et apographorum quae vocabat lectiones praeferre. Neque eius assectator atque adeo castigator inconstantiae Dindorfianae Mauricius

Seyffert codicis archetypi lectiones constanter tenuit. Tam enim multis scatet vitiis Laurentianus et meliora praebent Parisinus A, Florentinus *Γ*, qui scholia Laurentiano saeculo undecimo addidit diorthota qui vocatur a Dindorfio. Quorum quum sententiam iam Iustus Hermannus Lipsius in libello scholiastico Lipsiensi: de Sophoclis emendandi praesidiis, a. 1860 impugnasset, Antonius Seyffert, Mauricii filius, in dissert. inaug.: quaestiones criticae de codicibus Sophoclis recte aestimandis, Halis Saxonum a. 1863, principatum quidem Laurentiano tribuit ita tamen, ut libros A et *Γ* ex diversa origine ortos et qui in restituendis poetae verbis consulerentur non minus dignos statueret, Michaelis vero in edit. O. Jahn. II praef. p. VI duplex librorum Sophocleorum genus esse dixit, ab altera parte stare praestantissimos La et Lb, ab altera Parisinus n. 2712 et n. 2886 et codicis La secundas manus, medium quendam inter utrosque tenere locum Florentinum *Γ*'. Quam igitur certam librorum Sophocleorum rationem Cobet, Dindorf, Seyffert pater sibi repperisse videntur, negant Lipsius, Seyffert filius, Michaelis, ut Horatianum illud praedicare possis

'grammatici certant et adhuc sub iudice lis est'.

Neque novissimi qui disputabant de hac re vv. dd. consentiunt. Nam Cavallin, edit. fab. Philoctetae Lundensis, codices qui diversi ab Laurentiano videantur ex hoc ita descendisse contendit, ut lectiones quae in iis meliores sint non ex uno aliquo antiquo codice sed ex magna vel apographorum vel glossarum et coniecturarum varietate provenisse habendae sint. At Rudolfus Schneider v. d. Berolinensis in Fleckeiseni nov. ann. philol. vol. CXV pp. 441 sqq. litem ita resolvisse sibi visus est, ut comparatis inter se codicibus La et Par. A censuerit: 'duo genera esse codicum Sophocleorum, quorum alterius caput Laurentianus a, Parisinus A alterius esset. His igitur duobus verba poetae quam verissime tradi et ita ut Laurentiano maior tribuenda sit auctoritas. Praeter hos libros paucas tantum varias lectiones a diorthota asservatas dignas esse, quarum ratio habenda sit. Plane vero repudianda esse quae correcta sint a recentioribus La manibus et quae diversa legantur in ceteris codicibus. Unum tantum Laurentianum b, ubi in La poetae verba evanuerint, dignum esse qui testis habeatur eorum, quae primitus in La scripta fuerint'. Quae si recta sunt, Sophocleorum codicum ratio eadem putanda est atque Aeschyleorum. Quam sententiam approbatam a N. Wecklinio in Bursiani ann. de progress. litterar. antiquar. vol. V p. 222 ego quoque sequendam censeo.

'Ab Iove principium'. Orsurus enim iam initium faciam

emendatione G. Hermanni, qui primus atque princeps Sophoclis fabulas digno summo poeta modo interpretatus est.

Ai. v. 60. Minerva Ulixi facinus ab Aiace praeterita nocte commissum narrans

> *ἐγὼ δὲ*, inquit, *φοιτῶντ᾿ ἄνδρα μανιάσιν νόσοις*
> *ὤτρυνον, εἰσέβαλλον εἰς ἕρκη κακά.*

Ad haec Hermann in edit. Erfurdt. min. adnotavit: 'Scholiasta peropportune observat pro *εἰς ἕρκη κακά* scriptum inveniri *εἰς Ἐρινὺν κακήν*. Et *εἰς Ἐρινῦν κακήν* La. Libri habent *ὤτρυνον, εἰσέβαλλον εἰς ἕρκη κακά*. Duo verba animum commotum produnt, ut vel propter hanc causam aliena sit ab hoc loco figura. *εἰσέβαλλον* interpretis est, quo recepto omissum est *Ἐρινύων*, quod etiam numeri versus in principio positum fuisse arguunt'. Legi igitur iussit

> *Ἐρινύων ὤτρυνον εἰς ἕρκη κακά.*

Quam emendationem e mea quidem sententia iniuria contempserunt, qui post Hermannum de hoc loco disputarunt. Quod quum factum sit praecipue propter ea quae Lobeck in commentario ad hanc fabulam p. 104 sq. et Schneidewin in Philologi vol. IV p. 542 sq. protulerunt, videamus quae sint eorum argumenta.

Atque eis quae Lobeck ad hunc locum in Erfurdtii *εἰς Ἐρινὺν* adnotavit, Hermanni *Ἐρινύων* reiciendum esse non probatur. Quum enim, quod Aiax caede nefaria se obstrinxisset, non dici potuisse 'furiarum caeco instinctu eum facinus patrasse contenderit, tamen locos Odyss. XV, v. 234, Il. XIX, v. 87, quo spectat Hesychii glossa *Ἐρινύας· τὰς ἁμαρτίας*, Aesch. Agam. v. 745 sqq., Eurip. Orest. v. 1390, Soph. El. v. 809, Anthol. Palat. IX, n. 470, ipse affert, e quibus planissime elucet brevem illum sive mentis sive oculorum errorem, qui in pecudes perniciem verterit, per similitudinem quandam ad furias reicere Graecis sollemne fuisse. Hoc tantum recte in Erfurdtium affirmat insolentius *εἰσβάλλειν τινὰ εἰς Ἐρινὺν* ferri non posse.

Schneidewin et rationibus et argumentis vulgatam lectionem defendendam censuit. Etenim quum Minervam in prologo prisca qua artifices antiquiores eam finxerint severitate praeditam poeta induxerit, optime asyndeto hoc indicari contendit. Huc enim, ut est interdum verbosior v. d. quam distinctior, summa eius verborum mihi videtur spectare. Sed vereor ut, quod colligendum esse ratus est, hoc colligi possit. Nam tametsi haud quaquam negari potest Minervam satis severam atque acerbam fictam esse

a Sophocle, tamen ex hoc non efficitur necesse esse, ut denotetur illius malevolentia, qua Aiacem in pecudes impulerit, asyndeto eam in enarrando uti. Severitas enim Minervae ex tota prologi ratione perlucet. In narrando vero facto, postquam animum implevit, pueriliter sane lusisset et humiliter Minerva, si Ulixi tali modo animum suum in Aiacem infestum ostendisset. Tum poeta religiosissimus noluit deos mortalibus studiis affectos in scenam producere eique tantum qui audiunt vel legunt eius fabulas e tota earum compositione intellegunt, quem ad modum eos affectos esse voluerit. Certe personam in dramate agentem, ut in hoc Ulixem, divinum tantum summumque numen novisse ac venerari fas est. Quod fieri non posset, si dea ea ratione, qua res gestas enarravisset, studium suum mortali ostendisset. Atqui Minerva severa cum gravitate Ulixem docet non spernendam esse deorum vim et potentiam; si quis valentior sit aut ditior, caveat ne superbe dictum in eos edat; hos enim modestos amare et odisse stultos. Quod autem Schneidewin ab eo qui scholia adscripsit in La adnotatas lectiones nullius pretii esse ait, non meminit v. d. locorum Phil. v. 426, El. v. 1097, v. 1255. Quorum quod attinet ad primum, scriptum invenitur in La perperam *δύ᾽ αὔτως* sive *αὕτως*, unde Lb *αὗτως* cum duplici spiritu, *δεῖν᾽ ἔλεξας*. Sed servavit verae lectionis vestigia diorthota qui vocatur a Dindorfio *δύ᾽ αὐτώδ᾽ ἐξέδειξας*, unde Porson eruit *δύ᾽ αὖ τώδ᾽ ἐξέδειξας*. Altero loco glossema *διός* in contextum irrepsit, expulit *ζηνός* quod servavit diorthota adnotans *γρ. ἀρίστα ταζηνός*. Tertio loco traditum est *τάδε δικαια*. Diorthotae vero *τάδε δίκα* in *τάδε δίκᾳ* mutatum omnes receperunt. Sic Meinekio in symbol. crit. ad Antigonam p. 21 a diorthota adscriptum *θυμαίνων* ei quod La exhibet *λυσσαίνων* praeferenti libens adsentior. Neque spernendam esse istius lectionem diversam Ant. v. 676 *πέδας* idem monuit.

Loci, quos vv. dd. certatim congesserunt ad defendendam codicum lectionem, omnes longe diversissimi ideoque alienissimi sunt a loco qui in manibus est, quippe quod aut iussa atque imperata iis exprimantur, velut Ai. v. 115. 811. 844. 958. Ant. v. 768. 1037. 1108. Trach. v. 1257, aut rhetorice ut ita dicam aliquid describatur, velut Aesch. Pers. v. 426. 463. Sept. c. Theb. v. 60. Soph. El. v. 719. Eur. El. v. 843, huic vero loco nihil id genus insit, sed simplex ibi compareat deae narratio.

Huc accedit, quod ita nude posita *ἔρκη κακά* sane habent quo offendant. Iam enim Lobeck vocis *ἔρκη* an sana sit suspicionem

moverat et scholiastae Laur. diversam lectionem in ἔριν mutavit. Quam mutationem Hermann, Wunder, Wolff primo collaudatam deinde improbaverunt. Quod autem M. Seyffert ad locos relegat, quos Passow in lex. gr. v. ἕρκος metonymica significatione usurpatos congerit, nihil est. Quibus ipsis congestis apparet ἕρκη hac vi dicta cum genetivo eius rei cuius sint retia iungi, certe genetivum si desit e loci sententia facile mente suppleri posse. Sed ad ἕρκη κακά nihil est quod subintellegere possis ex eis quae praecedunt aut sequuntur. Schneidewini vero interpretatio minus accurata est, vertit enim Unglueckssschlingen pro unglueckliche, boese Schlingen. At ut tralatione quadam dici possit Unglueckssschlingen pro unglueckliche, boese Schlingen, hoc ambigue versum est. Nam in Unglueckssschlingen, si idem sunt ac Schlingen des Ungluecks, nihil sane offensionis inest, quum certa sit nominata res vel potentia cuius sunt retia. At hac vi ac significatione ἕρκη κακά non sunt Unglueckssschlingen, iureque quaeris cuiusnam vel quorumnam?

Ingeniose igitur Hermann eiecto glossemate εἰσέβαλλον ad ὤτρυνον asyndetum ineptum removit et necessarium quem ἕρκη κακά requirunt genetivum Ἐρινύων restituit, sive in principio versus positum esse censes, sive quod Schneidewin, si corruptela esset statuenda, se praelaturum dixit

ὤτρυνον εἰς Ἐρινύων ἕρκη κακά.

Quo nomine hac ipsa vi et significatione usus est poeta Ant. v. 602, cf. Trach. v. 1050, fragm. Soph. n. 508.

v. 190. Nautae Salaminii, qui Aiacem aegrum consolaturi adsunt, hortantur ne in tentorio commoretur heros, si mendacia de eo proferant Atridae aut Ulixes. Hic autem ex more Tragicorum, qui poetas Cyclicos secuti Ulixem Sisyphi filium hominis suae aetatis fallacissimi praedicabant, patris nomine designatur versiculo

ἢ τᾶς ἀσώτου Σισυφιδᾶν γενεᾶς.

Quae verba unde pendeant incerti sunt vv. dd. Atque fuerunt qui genetivum τᾶς γενεᾶς ex n. βασιλεύς, quod nomen ex verbis proxime praecedentibus οἱ μεγάλοι βασιλῆς supplebant aut ex articulo ὁ ex οἱ audiendo vel etiam ex οἱ βασιλῆς aptum putarent. At ex numeris pluralibus οἱ et βασιλῆς numerus singularis intellegi non quit neque οἱ βασιλῆς postquam modo de duobus Atridis dicti sunt iidem de uno Ulixe dici possunt

Dum autem in explicando genetivo *γενεᾶς* unde aptus sit haerent vv. dd., quid sibi velit genetivus pluralis *Σισυφιδᾶν* plane neglexerunt. Nam qui sunt Sisyphidae? Sisyphus, Glaucus, Bellerophontes, quorum neque Glaucus neque Bellerophon fallacia infames erant, imo vero hic rebus praeclare gestis, ille violenta, quam ab equis efferatis accepit, morte celebrabantur. Sisyphidarum igitur gens perdita dici non quit neque usquam alibi dicta est neque ab ullo alio scriptore pluralis *Σισυφίδαι* memoratur. Atenim inde ab Homero, Il. VI, v. 153, solus qui ferebatur Sisyphus quasi exemplar fraudium habebatur, ita quidem ut homines versuti atque astuti Sisyphi nominati sint, ut Dercyllidas Lacedaemonius — *ἀνὴρ δοκῶν εἶναι μάλα μηχανητικὸς καὶ ἐπεκαλεῖτο Σίσυφος*, Xenoph. Hellen. III, 1, 8. Quin etiam quivis homo fraudulentus Sisyphus, mali Corinthii Sisyphii, cf. Hesychii voc. *Σίσυφος, Σισυφίοις*, appellabantur. Hinc Ulixes, ut iam in Odyssea Antolyci hominis furacissimi nepos, XIX, vv. 394 sq., postero tempore Sisyphi hominis fallacissimi filius dictus est. Recte igitur poeta de Sisyphida, nequaquam vero de Sisyphidis loqui potuit neque *γενεά* hoc loco de gente intellegendum est, sed de genere vel origine. Peropportune igitur schol. Laur. in principio adnotationis ad h. v. lectionem *Σισυφίδα* haud dubie ex *Σισυφίδας* forma Dorica pro *Σισυφίδης* aptissima carmini chorico ortam tradidit. Legimus igitur cum Hartungio

ἢ τᾶς ἀσώτου Σισυφίδας γενεᾶς,

h. e. '*vel Sisyphi filius perditae illius originis*'. Genetivus ea significatione quam statui non offendit. Qui quum sit casus substantivi definiendi latissime patens, cf. Huebschmann, de casuum doctrina pp. 110 sq. et 134 sq., audacius eo usi sunt poetae Graeci. Ipse enim Sophocles ausus est dicere *ναὸς ἀρωγοὶ τῆς Αἴαντος γενεᾶς χθονίων ἀπ' Ἐρεχθειδῶν*, Ai. v. 202, cf. Seyfferti adnot., qui genetivum in Nauckium defendit. Poeta autem quo perditam Ulixi originem gravius atque expressius verborum collocatione significaret, attributionem *τᾶς ἀσώτου* substantivo *γενεᾶς* praeposuit interposito nominativo *Σισυφίδας* verborum transgressione usus, quam in primis apud Thucydidem et poetas invenimus. Ita Plato quoque nostro simillimo loco verba collacavit de re publ. p. 401 B.: *ἆρ' οὖν τοῖς ποιηταῖς ἡμῖν ἐπιστατητέον καὶ προσαναγκαστέον τὴν τοῦ ἀγαθοῦ εἰκόνα ἤθους ἐμποιεῖν τοῖς ποιήμασιν* etc., et ipse Sophocles O. R. v. 802 sq.

ἐνταῦθά μοι κῆρύξ τε κἀπὶ πωλικῆς
ἀνὴρ ἀπήνης ἐμβεβώς.

v. 208. Nautarum chorus quum e Tecmessa cognoverit Aiacem insania aegrotantem in tentorio morari, miratus, quid sit quod eum ita affecerit, quaerit

τί δ' ἐνήλλακται τῆς ἡμερίας
νὺξ ἥδε βάρος;

Vocem ἡμερίας scholiastae Laur., Triclinius, Hermann, Lobeck, alii substantivo ὥρας audito significare tempus diurnum et praeteritum diem contendunt. Quod quum desint eius similitudinis exempla excepto uno Manethonis infirmissimo, fieri posse negant plerique alius aliam meditati emendationem. Quarum Thierschii lenissima videtur esse mutatio, sententia aptissima. Sed nihil censeo opus esse mutatione, dum modo ἡμερία non ab ἡμέρα sed ab ἥμερος derivatum statuas et vertas: *'quid grave malum haec nox sibi permutavit illa mansuetudine?'* ἡμερία enim est idem quod ἡμερότης et est fictum a poeta eodem iure, quo ficta sunt derivata ab adjectivis in -ος terminantibus secundae declinationis φιλία et φιλότης a φίλος etc. Neque opponi potest fieri non posse, quin ἡμερίας de die intellegatur, quod substantivi vulgaris ἡμέρα audientibus in mentem venire necesse fuerit. Iam enim antiqui grammatici nomen ἡμέρα audito ὥρα ab ἥμερος derivabant. Neque mirum, cum utrumque vocabulum ita sono conveniat, ut e communi gentium more fere eiusdem significationis Graecos commonuerit. Nos quidem tria ἡμέρα, ἥμερος, ἡμερίς vocabula a radice σμαρ derivanda esse didicimus a Goebelio, v. d., in lexilogo Homeri atque Homeridarum, Berolin. 1878, p. 420. Mansuetudinis igitur notio, quae iam nomini ἡμέρα inerat, nomini quoque ἡμερία inesse oportebat, praesertim quum Athenienses id a Sophocle ex scena audirent. Qui poeta praeter ceteros voces primaria significatione usurpabat, cf. οἰκονομῶ = οἰκουρῶ El. v. 190, ἀγχιστήρ de mali auctore Trach. v. 256, atque adeo nova verba antiqua radicis vi servata inveniebat, ita ut Athenienses propemodum cogeret summa animi contentione auscultare, quae ab eo in scena dicerentur. De Sophocle verborum inventore cf. C. Schindleri copiosissimam diss. inaug. Wratisl. 1877.

Sententia igitur versus multum tentati est: *'quid mali pro illa mansuetudine* sc. quam Aiax praeterito die prae se tulit, *accidit hac nocte?'* Aiax enim sententia illa iudicum iniqua lata

aequo ut videbatur animo in tentorium suum se receperat. Sed quum sui sperarent fore ut paullatim sedaretur ignominiae acceptae dolor, nocte caeco furore impulsus praeter opinionem pecudum caedem perpetraverat.

v. 405. Aiax nocturno, quo eum Minerva affecerat, furore liber coram Salaminiis suis acerbissime conqueritur se fortem illum neque unquam in pugnis perterritum pecudibus minime formidabilibus manus iniecisse, tenebras lucem suam invocat ut se recipiat incolam, quum vita indignus sit; quo enim confugiat, ubi iam versetur? Pergit

> *εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι, τοῖσδ' ὁμοῦ πέλας,*
> *μώραις δ' ἄγραις προσκείμεθα,*
> *πᾶς δὲ στρατὸς δίπαλτος ἄν με*
> *χειρὶ φονεύοι.*

Verba *εἰ τὰ μὲν* — *πέλας* corrupta esse evincitur et sententiae obscuritate et verbis antistrophae quae respondent

> *ἐξερῶ μέγα, οἷον οὔ τινα Τροία στρατοῦ.*

Atque primum quidem horum versiculorum metrum tripodiis trochaicis catalecticis constare apparet. Qua catalexi hiatus verborum *μέγα* et *οἷον* admittitur. Restituenda est igitur, ut metrum restituas, quam pro *Τροία* proposuit G. Hermann forma Dorica *Τρωΐα*, quae optime conveniat carmini melico. Quo factum est ut inter se respondeant versiculi extremi *Τρωΐα στρατοῦ* et *τοῖσδ' ὁμοῦ πέλας* et primi *ἐξερῶ μέγα* et *εἰ τὰ μὲν φθίνει.* Itaque restat solus pluralis *φίλοι,* qui respondeat toti versiculo *οἷον οὔ τινα,* quod fieri nequit. Requiruntur igitur, si concesseris ut *φίλοι* pronomini *τινά* conveniat, tres syllabae temporum quinque, quae explendae sunt. Atque quum sententiarum conexum quem supra exposuimus respexeris, Lobeckio et Nauckio et J. H. Schmidtio assentiare oportet Aiacem in hunc fere modum lamentationem continuasse: 'si quidem gloria rerum a me gestarum interiit hac caede pecudum, stultam autem praedam feci et eius rei exercitui Graecorum nece mea poenas daturus sum'. Sed quod *τίσις* pro *τοῖσδ'* Lobeck corrigebat et *δόμου κλέος* explebant vv. dd., quos secundo loco commemoravi, vehementer falluntur. Ille enim ultionem loco alieno inseruit, quae extremis demum strophae verbis aptissime describitur et hi verbis *δόμου κλέος* expletis metri rationem turbaverunt. Sin vero Aiacis verba *οὐδ' ἔργα μείω χειρὸς ἀρκέσας ἐμῆς* v. 439 et chori verba plane nostris quasi parallela *τὰ πρὶν δ' ἔργα χεροῖν μεγίστας*

ἀρετᾶς ἄφιλα παρ' ἀφίλοις ἔπεσ', ἔπεσε μελέοις Ἀτρείδαις comparaveris et vim atque usum nominis *ἔργα* inde ab Homero apud omnes scriptores Graecos, mihi concedes veri simillimum quoad eius fieri possit supplementum huius loci paene ut Seyffert ait desperati esse *ἔργα μου*.

En habes tres versus trochaicos absolutos

> *εἰ τὰ μὲν φθίνει*
> *ἔργα μου, φίλοι,*
> *τοῖσδ' ὁμοῦ πέλας,*

'*si quidem res a me gestae, amici, simul cum his prope intereunt*'. *Ἔργα μου* enim sunt res quas ante Aiax multas praeclare gesserat, verbis *τοῖσδε πέλας* caesorum corpora pecudum iuxta eum posita demonstrantur, *ὁμοῦ* est adverbium temporis, unde pendet dativus *τοῖσδε*, cui pronomini additum est adverbium loci *πέλας* attributio.

v. 600. Aiax, quem insanae pecudum caedis pudebat, se mori velle pronuntiavit, frustra a Tecmessa coniuge et nautis Salaminiis oratus ne hoc faciat. Chorus igitur quum domini pertinaciam cognoverit, patriae recordatur longinquae carmine:

> *Ὦ κλεινὰ Σαλαμίς, σὺ μέν που*
> *ναίεις ἁλίπλακτος εὐδαίμων*
> *πᾶσιν περίφαντος ἀεί.*
> *ἐγὼ δ' ὁ τλάμων παλαιὸς ἀφ' οὗ χρόνος*
> *Ἰδαίαι μίμνων λειμωνία ποίᾳ μήλων ἀνήριθμος αἰὲν εὐνόμᾳ*
> *χρόνῳ τρυχόμενος*
> *κακὰν ἐλπίδ' ἔχων*
> *ἔτι μέ ποτ' ἀνύσειν*
> *τὸν ἀπότροπον ἀίδηλον Ἅιδαν.*

Locum paene desperatum ac depositum si post tot vv. dd. varias et diversas emendationes aggressus sum, non id mihi arrogo ut unum me omnium quid poeta scripserit aperuisse putem, sed tantum id peto, ut quod verba tradita sanare conatus sim benigne feratur et libere exploretur.

Atque primum quidem nobis sententias inter se conexas respicientibus et litterarum ductus oculis perlustrantibus apparet poetam in hunc fere modum a choro dictum voluisse: 'tu quidem' Salamis iaces beata et secura, verum ego miserrimus iam diu Troiam obsidens hic moror tempore tritus et mortem extimescens'. Quae si recte enarrata sunt, Bergkio assentiendum

εὐνῶμαι corrigenti, cf. v. 1206, κεῖμαι δ' ἀμέριμνος οὕτως, eiusdem chori verba.

Sed iam restant verba gravissime ut plerisque videntur corrupta et ab aliis aliter tentata atque coniugata:

Ἰδαίαι μίμνων λειμωνία ποίαι μήλων ἀνήριθμος.

Fuerunt quidem qui part. μίμνων, quod dativus Ἰδαίᾳ metro adversatur, cum accusativo Ἰδαῖα coniunctum vellent, ut hoc loco eius vis esset exspectandi. Quod haudquaquam probaverim. Nam primum se exspectare chorus bis pronuntiasset verbis μίμνων sqq. et ἐλπίδ' ἔχων sqq. Deinde λειμωνία et quae sequuntur ita sunt mutanda, ut ad Troiae eversionem referri possint. Quod quum propter traditos litterarum ductus periculosa res est, tum propter obscuritatem quae efficitur fieri nequit. Nam verbis Ἰδαῖα μίμνω λειμωνί' ἄποινα — ita enim ex Hermanni coniectura legendum putant — nemo nisi edoctus intelleget hanc inesse sententiam: 'poenam maneo quam daturi sunt Troiani, scil. Troia eversa, pro aerumnis quae perpessus sum, dum in pratis consedi'. Quae quum reicienda sint eque formis litterarum traditis is sensus requiri videatur, quem in principio enarravimus, his verbis locum, ubi chorus se commorari dicat, patet indicari. Sed μίμνων cum est idem atque *permanere* iungitur cum ἐν cum dativo vel ex Homerico loquendi usu cum soli dativo qui dicitur locali. Ingeniosa igitur est Bergkii lenissima ac paene nulla mutatio ἸΔΑΙΔΙ. Itaque iam habemus Ἰδᾷδι, sc. γῇ, μίμνων in terra Idaea commorans, cf. schol. Laur. Ἰδαίᾳ] τῇ Τρωικῇ. Neque tamen ceteris quoque accesserim, quae vir doct. ut emendaret corruptum locum excogitavit. Proposuit enim χειμῶνι πόᾳ τε conferrique iussit Rhiani apud Pausaniam IV, 17, 6: χείματά τε ποίας τε δύω καὶ εἴκοσιν. Sed ea coniectura recepta nova temporis significatio atque inutilis loco adigitur. Nam verbis παλαιὸς ἀφ' οὗ χρόνος et χρόνῳ τρυχόμενος, quibus illa excipiuntur, diuturnitas temporis satis superque indicata est omniaque alia aut tradita manu scriptis aut coniecturis criticorum inlata tempora aut removenda sunt aut reicienda. Quanta vero evadit temporum abundantia, si μήλων quod aliter non habet quo referatur in μηνῶν mutatum cum ἀνήριθμος iunxeris! Immo vero huius adiectivi vis ex versu quasi parallelo κεῖμαι δ' ἀμέριμνος explicanda est, ut significet in nullo numero habitum, cf. quae Wolff adnotavit et schol. Laur. ἀνήριθμος· ἐν οὐδενὶ ἀριθμῷ ταττόμενος.

Emendatis Ἰδᾷδι μίμνων et explicato ἀνήριθμος restant verba λειμωνία ποίᾳ μήλων. Atque diligentius his verbis quid sibi velint perpensis statuere commodissimum videtur aut ea esse glossema, quae antiquam lectionem explicaverint — ita enim non abhorrent a loci sententia — aut ipsa quamquam paullum mutata verba poetae. Nam vocabula addita ad nomen aliquod, quae nos epitheta ornantia dicimus, i. e. vocabula propria et perpetua a rerum natura petita, adhibita ut res quibus apponuntur evidentius atque expressius animo obiciantur quum sciamus antiquos poetas ibi quoque non esse aspernatos, ubi recentiores politiorem pulcri venustique sensum nancti iis non utantur, facile adducimur ut haec verba vel eadem significantia e more antiquo ornandi causa nomini Ἰδᾷδι adiuncta esse credamus. Sed glossematis, ut plerumque eius ratio est dubia et ad verba poetae certo restituenda parum valet, hic, quum unius, quae sequentis figura Π facile praetermitti potuit, litterulae vel lineolae supplemento corruptio tolli possit, plane nullus videtur esse locus. Nam dativi qui requiritur forma λειμωνίᾳ quidem metro repugnat, sed quod ex eodem est derivatum nomine λειμών adiectivum λ ε ι μ ω ν ί ς dativo positum optime convenit. Atque hoc cum ipso ποίη compositum Nonnus et Dionysius Periegetes usurparunt haudquaquam de suo verum quantum coniectare licet veteres secuti poetas. Neque Rud. Schneidero assentior hoc adiectivum hic aptum esse neganti in annal. schol. Berol. n. s. 1878 p. 122, quod in gramine floreo iacere malum non sit. Nam non solum λειμωνὶς ποίη leguntur sed λειμωνὶς ποίη μήλων, quae verba quin pratense pecudum pascuum significent quis dubitat? Neque se in pascuo pratensi iacere queritur chorus, sed in terra Idaea, i. e. non in Salaminia insula, quam paullo ante celebraverat. Attributioni terrae cf. El. v. 181, βούνομον ἀκτὰν Κρῖσαν. Itaque versum desperatum iam mihi expedivisse videor. Verbis enim

Ἰδᾷδι μίμνων λειμων ί δ ι ποίᾳ μήλων

et metrum quantum satis et sententia vere est restituta. Nam chorus haec lamentatur: '*infelix ego iam diu in terra Idaea permanens pratensi pecudum pascuo*, i. e. in pratis terrae Idaeae, ubi pecudes pascuntur vel pascebantur, *in nullo numero habitus usque consido tempore tritus ac malam habens spem fore ut aliquando in Orcum perveniam tristem et abominandum*'. Syllabam Glyconei paenultimam longam et quae brevi in οἰοβώτας respondeat non est quod plenius defendam. Nam et in dochmiis et in versuum glyconicorum systematis pedem quem vocant irrationalem admis-

sum esse notissimum est. cf. Gleditsch ad Aiac. v. 1191 in progr. gymn. Berolin. 1867, p. 8.

— vv. 1003—1039. Minimi equidem facio levitatem hominum criticorum in scriptores veteres grassantium et totas carminum partes delentium, sed nunquam a me impetrare potui, ut Sophoclem hos versus scripsisse putem. Atque iam Morstadt v. sagacissimus in progr. gymn. Schaffhausen. a. 1863 p. 30sq. ut vv. 1028—39 delendi esse videantur perfecit. Quibus deletis restant vv. 1003—1027 non minus inepti neque poeta digni sententia aut oratione. Quod brevibus sum expositurus. Teucer enim his versibus postulat, ut Aiacis corpus a Tecmessa pallio obvolutum detegatur, quo impetrato per totam versuum sequentium seriem ea potissimum incommoda queritur, quae mortuo Aiace sibi immineant. At quanto honestius ac decentius Tecmessa coniux Aiacis vv. 915sqq. mortuum maritum vestimento velat, quo nemo horrendum videat adspectum et vv. 961sqq. Aiacem beatum praedicat, quod mortuus sit, quamvis multa sibi mala reliquerit. Iam vero Teucri mores, quem fratrem Aiacis generosissimum finxit poeta, his versibus pravissime deformantur. Qui tota fabula fratrem maxime pium se praebet et qui minime de malis sibi impendentibus cogitet. Nam postquam v. 980 se infelicem esse exclamavit, v. 983 Eurysaci mortui filio prudentissime prospicit, vv. 986sqq. mortuo ipsi. Atridis vero regibus continuo inde a v. 1044 usque ad v. 1315 acerrime obsistit ne frater insepultus iaceat; verum his qui tractantur versibus tanquam sui amantissimus declamat, quanta sibi in patriam reverso mala ab Telamone patre instent. Tantum autem abest ut Sophocles personarum mores inter se dissimiles ac malos finxerit, ut Aristotele teste quales esse debeant, non quales sint descripserit. Et vero versuum oratio quoque digna est, quae sententiae pedestri respondeat. Verbis enim utitur hic Teucer neque propriis aut cothurno tragico dignis et aliquando subobscuris et suspensis. Quod cum iam alii animadverterint et singula verba emendare studuerint, satis habeo eorum emendationibus praetermissis ea quae offendunt deinceps proferre. Iam in primo qui delendus est versu 1003 offendunt verba *τὸ πᾶν κακόν* de Aiace mortuo dicta, vv. 1004sq. fieri non potest quin verba insulse coniuncta *δυσθεατὸν ὄμμα* de Aiacis oculo dicta e legibus syntacticis subiecta sint praedicationi membri subiuncti *φθίνεις*. Quo fit ut Aiacis oculus Teucro multis aerumnis affecto perire s. perisse dicatur. Imo vero Aiax ipse nominandus erat. Neque Nauck emendato *ὄμμα*

versum sanatum putat, nam etiam τόλμης πικρᾶς offendunt, cf. Wunder, schedae critic. Grimae 1856 p. 15 sq. vv. 1006 sq. Teucer nunquam fratrem a se adiutum esse dicit. At vero nunquam ad id tempus Aiax malo affectus auxilio eius eguerat. v. 1008 metro laeso libri tradunt ἦ που Τελαμών, quod ut restitueretur, μέ interpositum est a criticis. In eodem versu ἅμα soloece pro ὁμοῦ dictum est. v. 1009 iam Hermann et Nauck adverbio ἴσως quod nusquam apud Sophoclem idem atque *pariter* est offenderunt. v. 1010 num dici possit πάρεστί τινι γελᾶν pro verbo simplici ἔστι τινὸς γελᾶν vehementer dubito. v. 1013 δορὶ πολέμιον nihil aliud esse potest nisi hasta aut exercitus hostium, non mulier captiva, quae hoc loco requiritur. Neque non offendunt v. 1016 θρόνους, v. 1020 λόγοισιν, v. 1022 πανρα δ' ὠφελήσιμοι. Longum est alia quae lautum legentis sensum offendant congerere. Sic enim statuo: hi versus quum neque sententia neque oratione poeta digni sint neque singulis locis emendari possint, sequitur ut interpolati habendi sint. Quo accedit quod deletis his versibus reliqui decem Teucri versus aptissime respondeant decem Tecmessae versibus 915 sqq., quos mortuum prima conspicata loquitur. Interiectione οἴμοι Teucri sermo concluditur, quem plura locuturum chorus intercipit hortans vv. 1042 sqq., μὴ τεῖνε μακράν, ne longius sermonem producat, sed ut id potius cogitet, quo modo mortuum sepeliat, cum eius inimicissimus appropinquet. At quomodo tot, dixerit quispiam, versus a Suida, ab Eustathio, ab aliis citati atque a scholiastis explicati poetae verbis inmisceri potuerunt? Scholia enim Laurentiana quin e virorum Alexandrinorum commentariis magnam partem hausta sint dubitari non potest, cf. G. Wolff, de Sophoclis scholiorum Laurent. variis lectionibus, Lips. 1843, p. 12 sqq. de Didymi principali scholiorum auctore, p. 25 sqq. de Didymi fontibus. Restat igitur ut versus Sophocle mortuo ab histrionibus admixtos esse credamus. Habemus enim de eorum interpolationibus diserta scholiastarum eorum potissimum qui Euripideas fabulas commentati sunt testimonia, histriones non solum poetarum verba vel perverse interpretantes, cf. schol. ad Eurip. Med. vv. 85 et 910, vel omnino non intellegentes, cf. ad eiusd. fab. v. 228, vel confundentes, cf. ad v. 148, vel quod difficilia pronuntiatu essent, cf. ad Phoen. v. 264, corrupisse, sed etiam totos versus genuinis admiscuisse. Tradunt enim scholiastae e Didymi commentariis ad Med. vv. 356 et 379 histriones versum

σιγῇ δόμους εἰσβᾶσ', ἵν' ἔστρωται λέχος

alieno loco inseruisse et eos qui Phrygis personam agerent, cf. schol. ad Orest. vv. 1366 sqq., ut commode per ostium foras exire eis liceret, tres affinxisse senarios hosce

ἀλλά, κτυπεῖ γὰρ κλῇθρα βασιλείων δόμων,
σιγήσατ᾽, ἔξω γάρ τις ἐκβαίνει Φρυγῶν,
οὗ πευσόμεσθα τἀν δόμοις ὅπως ἔχει,

quum ea quae sequuntur clare et evidenter ostendant de summa regia Phrygi desiliendum fuisse. Cff. Valckenaer ad Eur. Phoen. v. 1266, Cobeti novae lectt. pp. 297 sqq. Et auctor argumenti eius fabulae, cui Rhesus est titulus quaeque vulgo Euripidi falso attribuitur, sed iam ab Hermanno recte abiudicatur, duos Rhesi prologos ferri docet, quorum alter ad pedestre loquendi genus plane compositus neque poeta dignus fortasse ab histrionibus confectus sit. Quae vel maxime comprobantur eo quod de Lycurgo oratore memoriae proditum est. Hoc enim auctore, quum fabulae Aeschyli, Sophoclis, Euripidis in dies ab histrionibus corrumperentur, interpolarentur, Athenienses legem sanxerunt, '*ut exemplar earum publicum in tabulario asservaretur utque scriba publicus quotiescunque agerentur actorum recitationes cum codice illo conferret*'. Cf. vit. decem oratt. p. 841 F: *τὸν δὲ* (scil. *νόμον εἰσήνεγκε*) *ὡς χαλκᾶς εἰκόνας ἀναθεῖναι τῶν ποιητῶν Αἰσχύλου, Σοφοκλέους, Εὐριπίδου καὶ τὰς τραγῳδίας αὐτῶν ἐν κοινῷ γραψαμένους φυλάττειν καὶ τὸν τῆς πόλεως γραμματέα παραναγιγνώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις· οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι.* Cf. O. Korn, de publico Aeschyli Sophoclis Euripidis fabularum exemplari Lycurgo auctore confecto. Diss. inaug. Bonn 1864. Mus. rhen. n. s. 1864, p. 131 sqq., Wecklein, ars Soph. emend. p. 155 sq. Unde colligi non posse patet, quod quidam colligi volunt, in hoc codice publice scripto tragicorum principum fabulas ab interpolationibus prorsus liberas exstitisse, sed tantum id colligi debet curam publice habitam esse, ut quam maxime liberae essent neve amplius actorum fraudes inmiscerentur. Cuius rei argumento est, quod ne veteres quidem Alexandrini critici illi exemplari, quod postea Alexandriam delatum esse ferunt, cf. Galenus in Hippocr. epidem. III comment. II p. 607 edit. Kuehn., bonam habuerunt fidem, sed versus, qui suspecti vel eis videbantur vel antea habiti erant, obelis notabant. Cf. scholiastarum Euripideorum testimonia supra a me allata et Sophocleorum ad Oc. v. 237, Ant. v. 45, Ai. v. 841.

El. vv. 363 sq. Chrysothemidi sorori hortatae, ut tandem aliquando desinat animo imprudenti temere morem gerere, Electra respondet: quae sibi exprobraverit soror, matris esse, cum qua

patre destituto faciat. Quidnam autem lucri se facturam si queri destiterit? nonne se vivere? male quidem ita tamen ut sibi sufficiat. Verum se illis qui patrem interemerint molestam esse, cum Chrysothemis verbis modo oderit, re ipsa cum illis faciat. At semet nunquam cessuram donis, quibus ista nunc superbiat; isti lauta mensa apponatur et abunde victus affluat! Sequuntur versus

ἐμοὶ γὰρ ἔστω τοὐμὲ μὴ λυπεῖν μόνον
βόσκημα· τῆς σῆς δ' οὐκ ἐρῶ τιμῆς τυχεῖν.

Quorum sententia fieri non potest quin e legibus grammaticis sit haec: '*mihi tantummodo sit cibus, ut dolore non afficiar*', vel ut Reisig, enarrat. Oedipi Colon. p. 113, vertit: '*mihi sit tantum concessum, ut me non premat ciborum inopia*'. Nam verbis *ἐμοὶ γὰρ ἔστω* et *μόνον βόσκημα* vim sententiae inesse efficitur eo quod illa mediis verbis *τοὐμὲ μὴ λυπεῖν* separata initio enuntiati et extremo collocata sunt. Infinitivus autem *λυπεῖν* pro passivo *λυπεῖσθαι* dictus est notissimo Graecorum more cf. Kuehner, gram. gr. vol. II, p. 585 sq. Restat ut articuli casum definiamus et *τοὐμὲ* ex *τοῦ ἐμέ* contractum esse statuamus, ita ut verba *τοῦ ἐμὲ μὴ λυπεῖν μόνον* a substantivo *βόσκημα* regantur. De proprio autem victu sive de nutrimentis hic poetam loqui evincitur verbis quae proxime praemissa sunt vv. 361 sq.

σοὶ δὲ πλουσία
τράπεζα κείσθω καὶ περιῤῥείτω βίος

et ipsius Electrae verbis v. 192 *κεναῖς δ' ἐφίσταμαι* (Meineke pro *ἀμφίσταμαι* codd.) *τραπέζαις*. Quae interpretatio confirmatur schol. Laur. explicante: *ἐμοί, φησίν, ἔστω τροφή, η τῇ ἀνάγκῃ μόνον ἁρμόζουσα καὶ τὴν πεῖνην ἀπελαύνουσα· οὐ δέομαι γὰρ τοιαύτης τροφῆς, ἀφ' ἧς ἡδονὴν σχήσω.* Cf. Wolff de Soph. schol. var. lectt. p. 186.

Falluntur igitur, qui ut concesserunt *βόσκημα* proprie hic dici de cibo, ita *τοὐμὲ μὴ λυπεῖν* corrupta esse arbitrati alia excogitarunt, ut sententiam, quae supra e traditis poetae verbis enucleata est, efficerent. Falli vero et eos qui *βόσκημα* tralata vi hic usurpatum esse rati item alii alia protulerint, spero fore ut mea argumentandi ratione intellegatur.

vv. 495 sqq. Chrysothemis a Clytemnestra, quae malo exterrita erat somnio, missa ut sacra faceret ad patris sepulcrum, Electrae cupidissime auscultanti et virginum indigenarum choro narravit, quae de matris cura atque metu et causa novit. Qua re chorus elatus, nisi vates stulta sit atque consilii prudentis expers, affuturam iam Iustitiam cantat. Id se colligere ex somnio

quod audiverit iucundissimo. Venturam et multipedem atque multimanam Furiam, quum contentio in cupiendo incesto concubitu eos invaserit, quos nefas sit. Quibus cantatis pergitur:

> πρὸ τῶνδέ τοί μ᾽ ἔχει
> — — μή ποθ᾽ ἡμὶν
> ἀψεγὲς πελᾶν τέρας
> τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν.

Locus ut apparet scopulosus atque difficilis. Quaeritur enim primum rectene se habeant πρὸ τῶνδε et nude positum ἔχει, deinde utrum scripserit poeta ἡμίν an ὑμίν, num ἀψεγές, denique qui sint οἱ δρῶντες καὶ συνδρῶντες.

Atque primum quidem quod attinet ad vim et significationem praepositioni πρό hoc loco tribuendam apparet usitatas illas notiones ante, prae non convenire cum sententia verborum. Sed reperitur a vi locali ut ita dicam derivata vis quaedam in formula μάχεσθαι πρό τινος i. e. ὑπέρ τινος. Hinc dictum est Il. XXIV v. 734: ἀθλεύειν πρὸ ἄνακτος ἀμειλίχου et O. R. v. 134, quem apte comparavit Meineke, πρὸ τοῦ θανόντος τήνδ᾽ ἔθεσθ᾽ ἐπιστροφήν i. e. *in gratiam mortui.* Tum Trach. v. 505 πρὸ γάμων nihil aliud significat quam *nuptiarum causa,* ut Hermannus interpretatus est. Nam viros valentes ante nuptias, ut reddi volunt Ellendt, alii, de Deianira certavisse sponte intellegitur. Sic πρὸ φόβοιο Il. XVII, v. 667, est *ob timorem, timore adducti, commoti.* Quin etiam πρό plane eadem vi qua ἀντί dictum est. Non enim aliter accipi potest O. C. v. 1524

> ὥς σοι πρὸ πολλῶν ἀσπίδων ἀλκὴν ὅδε κτλ.

Atque hanc praepositionis vim aptissime in hunc locum quadrare et πρὸ τῶνδε cum πελᾶν τέρας coniungenda esse recte vidit Nauck. Πρὸ τῶνδε enim refertur ad vv. 493sq., ut sit ἀντὶ τούτων μιαιφόνων γάμων, ὧν ἁμιλλήματα αὐτοὺς sc. Κλυταιμνήστραν καὶ Αἴγισθον, ἐπέβη.

Deinde ad nude positum ἔχει με significans: tenet me sc. sententia quae sequitur, tuendum non desunt similitudines. Eadem enim ratione praedicata sunt verba εἰσέρχεσθαι, ἐπέρχεσθαι, παρίστασθαι, cf. Aesch. Prom. vv. 1002sq.

> εἰσελθέτω σε μήποτ᾽ ὡς ἐγὼ Διὸς
> γνώμην φοβηθεὶς θηλύνους γενήσομαι.

Euripid. Herc. fur. vv. 302sq.

> ἤδη δ᾽ ἐσῆλθέ μ᾽ εἰ παραιτησαίμεθα
> φυγὰς τέκνων τῶνδ᾽.

Herod. III, c. 42, *τὸν δὲ ὡς ἐσῆλθε θεῖον εἶναι τὸ πρῆγμα, γράφει* etc., VII c. 46, *ἐσῆλθε γάρ με λογισάμενον κατοικτεῖραι ὡς βραχὺς εἴη ὁ πᾶς ἀνθρώπινος βίος,* VIII c. 137, *τὸν δὲ ἀκούσαντα ἐσῆλθε αὐτίκα ὡς εἴη τέρας καὶ φέροι τι.* Thucyd. IV c. 61, *παρεστάναι δὲ μηδενὶ, ὡς οἱ μὲν Δωριῆς ἡμῶν πολέμιοι τοῖς Ἀθηναίοις, τὸ δὲ Χαλκιδικὸν τῇ Ἰάδι ξυγγενείᾳ ἀσφαλές,* c. 95, *παραστῇ δὲ μηδενὶ ὑμῶν, ὡς ἐν τῇ ἀλλοτρίᾳ οὐ προσῆκον τοσόνδε κίνδυνον ἀναῤῥιπτοῦμεν,* VI c. 78, *καὶ εἴ τῳ ἄρα παρέστηκε τὸν μὲν Συρακόσιον, ἑαυτὸν δ' οὔ πολέμιον εἶναι τῷ Ἀθηναίῳ.* Xenoph. memor. Socr. IV c. 3 § 3, *ἤδη ποτέ σοι ἐπῆλθεν ἐνθυμηθῆναι;* Plat. Phaed. p. 58 E, *ὥστε μοι ἐκεῖνον παρίστασθαι μηδ' εἰς Ἅιδου ἰόντα ἄνευ θείας μοίρας ἰέναι,* p. 88 C, *καὶ γάρ αὐτόν με νῦν ἀκούσαντά σου τοιοῦτόν τι λέγειν πρὸς ἐμαυτὸν ἐπέρχεται.* Symp. p. 197 C, *ἐπέρχεται δέ μοί τι καὶ ἔμμετρον εἰπεῖν.* Cum igitur quae citavi verba subiectum infinitivo vel tota enuntiatione expressum sequi patiantur, dubitare non possumus quin *ἔχειν* recte hoc loco de sententia praedicatum sit. Etenim si chorum sic loqui voluisset, poetae componere licuisset *ἐπέρχεταί μοι, εἰσέρχεταί με, παρίσταταί μοι μήποτε πελᾶν κτέ.* Non autem haec, sed se teneri ea sententia i. e. se confidere a choro pronuntiari voluit. Itaque prorsus adsentior Hermanno adnotanti: 'non est omissum hic nomen quale est *ἔννοια,* sed ipsa illa cogitatio sequentibus verbis expressa est. Non est igitur recipiendum cum Wundero, Nauckio, Wolffio *θάρσος* vel *θράσος,* quamquam vel maxime eo commendatur, quod in strophae versu qui respondet *ὕπεστί μοι θράσος* legitur. Sed quum iis quae supra exposui probasse mihi videor traditum *μ' ἔχει* rectissime se habere et *θράσος* tantum in apographis inveniatur, causa non est quod recipiamus, ut legem illam poetarum qua 'pariles in parilibus locis voces stropha et antistropha recipiunt', huic loco inferamus. Aliud enim est hanc legem traditam observare vel e certissimis vestigiis in loco corrupto restituere, aliud sano vel aliter facile sanando inculcare.

Lacunam enim illam trium syllabarum, quam hoc loco adesse antistrophae verba ostendunt, e Parisino A particula *μή ποτε* iterata explenda est. Id quod Rud. quoque Schneider annal. schol. Berol. n. s. 1878 p. 119 probat. Multum enim geminatum *μή ποτε* ad augendam orationis vim et gravitatem valet neque desunt exempla verborum a Laurentiani librario, si bis scribenda erant, semel omissorum, cf. El. v. 1234, Phil. v. 829 etc. De Parisini A autem auctoritate cf. quae initio libelli ex Schneideri sententia exposuimus.

Iam vero restant verba ἀψεγὲς πελᾶν τέρας, quae criticos maxime vexaverunt. Quorum sagacissimus Meineke recepta Reiskii coniectura ὑμίν pro ἡμίν in anall. Soph. p. 258 sq. ἀψεγές, quo plerique offenderunt, intactum relinquens pro τέρας coniecit scribendum esse γέρας hoc sensu: *'confido nunquam vobis facinoris auctoribus non vituperandum praemium eventurum'.* Quocum contulit Ol. v. 1396 — *Οἰδίπους τοιαῦτ' ἔνειμε παισὶ τοῖς αὑτοῦ γέρα.* Sed ex acerbissima ironia, qua invehitur Oedipus in filios ingratos, gravem illius iram a spectaturis vel lecturis poeta haud dubie intellectam voluit. Sollemni vero cantico, quo chorus interemptores Agamemnonis mox poenas daturos sperat, ironiae color plane abest. Tum nullo modo me quidem iudice fieri potuit, ut chori virgines, quem spectantem magis ac commiserantem quam agentem ac vindicantem, imo verecundum ac timentem, cf. vv. 126 sq., poeta finxit, Aegisthum et Clytemnestram reges ita alloqui auderent. Qua ipsa Reiskii correctione recepta et aliorum emendationes infringuntur.

Sed plerique vel omnes mihi eo falli videntur, quod adiectivum ἀψεγές α quod dicitur privativo formatum esse existimant. Quae falsa est opinio. Imo vero est α quod vocatur protheticum a Vil. Clemmio in disputatione de alpha intensivo in studiis grammaticis linguae graec. et latin., ed G. Curtius, vol. VIII, fasc. 1. pp. 1—119, 1875. Quod omnibus vocibus quae a σ + sequ. consona muta vel iis mutatis a πτ, ψ incipiunt, propositum videtur, cf. Goebel, lexil. Hom. I p. 1—320. Ut enim ἀσκελής a verbo σκέλλειν, ἀχανής a χαίνω, ἀσπερχής a σπέρχω, ἀτενής a τείνω, sic ἀψεγής a Sophocle est derivatum a ψέγω non ut sit invituperatus, id quod ἄψεκτος est apud Theognid. v. 799, sed ut sit vituperatus sive vituperandus. De radice verbi ψέγειν cf. Goebel l. c. p. 73. Nec obstat adverbium ἀψεγῶς ab Apollonio Rhodio negative dictum. Poetam enim Alexandrinum saeculi tertii a. Chr. nat. et auctores scholiorum Sophocleorum Alexandrinos adiectivum negative usurpatum putantes fugit poetam quum in multis aliis vocibus tum in hac nostra suo in fingendis verbis iure usum esse. Ita Nicandrum, medicum et poetam Colophonium vel Aeolium saeculi secundi a. Chr. n. in Alexipharmacis adi. ἀφύσγετος longe alia vi usum esse quam Homerum Goebel demonstravit, l. c. p. 150 sqq. Quae cum ita sint, iungenda sunt, quod ipso verborum ordine videtur demonstrari, ἡμὶν ἀψεγές attributio nominis τέρας; dativi τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν dativi sunt commodi appositi formulae πελᾶν τέρας; sententia est: *Quas ob res hac teneor fiducia nunquam somnium a nobis vitupe-*

ratum eventurum facinoris auctōribus. Cf. vv. 1389 sq., quibus postquam sicut nostro loco verbis proxime praecedentibus Furiae appropinquare dictae sunt pergitur:

ὥστ᾽ οὐ μακρὰν ἔτ᾽ ἐμμένει
τοὐμὸν φρενῶν ὄνειρον αἰωρούμενον.

v. 515. Eodem carmine, cuius supra memini, extremo Pelopis ἱππεία causa malorum dicitur, quibus sit affecta Pelopidarum gens. Nam simulatque Myrtilus ille mari mersus sit e curru aureo eiectus, nondum contumelia liberas fuisse hasce domus. Cuius carminis tertia pars, quae graeco vocabulo epodus dicitur, iambis ita composita est, ut duae tetrapodiae hexapodia, deinde quattuor tetrapodiae altera hexapodia excipiantur, tum duae tetrapodiae finem epodi faciant. Quarum schema hoc est:

⏑⏑͡⏑́ ⏓ ⏊ ǀ⏊ ǀ⏊

Poetae autem verba sunt
ἔλιπεν ἐκ τοῦδ᾽ οἴκους
πολύπονος αἰκία.

Ut nominativo adiectivi *πολύπονος*, quem metro minime repugnare ultro concedo, offendam, moveor sententia quae coniunctis verbis *πολύπονος αἰκία* efficitur. Nam fieri potest ut v. 505 ἱππεία laboriosa praedicari possit, fieri potest, inquam, ut *ἀνάγκαι* Eur. Or. v. 1011, ut iuvenum Lacedaemoniorum cryptia Plat. legg. I p. 633 B, *στρατηγία* Plut. Timol. c. 36, *δορύ* Aesch. Pers. v. 320, *τόξα* Soph. Phil. v. 777 ita dicantur, non dici potest *αἰκία laboriosa.* Neque Bothe, Schneidewin, Bergk, Wolff, Morstadt, Schenkl, vv. dd., non offenderunt. Recepto autem *πολυπήμονας* Bothii aut *πολυπάμονας* Bergkii, attributione substantivi *οἴκους*, maior a versu priore discrepantia efficitur, quam ut concedi possit. Quam ut evitaret Schenkl *πολύστονος* proposuit. At requiritur multo magis attributio substantivi *οἴκους* quam subst. *αἰκία.* Statuo igitur legendum *πολυπόνους*. Quo accusativo recepto tetrapodia posterior priori respondet et substantivo *οἴκους* sua attributio addita est. Meam lectionis traditae mutationem leniorem esse quam Schenklii aut Bergkii vel Bothii patet. Sed etiam sententiae multo aptior est. *Πολύπονος* enim hominum epithetum creberrimum est et celeberrimum apud poetas, cf. *ἄνδρες* Pind. Nem. I, v. 49, *βροτοί* Aesch. Suppl. v. 382, *Ἀχαιοί* Soph. Ai. v. 638 etc. Domus vero laboriosae pro eas habitantibus vel pro gente dictae sunt ut Eur. Heracl. v. 932. *Μυκῆναι,* cf. nostr. fab. v. 10

πολύφθορόν τε δῶμα Πελοπιδῶν τόδε.

v. 534. Clytemnestra et animi conscientia et somnio illo agitata Electram vituperat, quod absente Aegistho rursus foris circumagatur. Nihil ab ista matrem respici, quae propter ea Electrae maledicat, quod male audiat ab ea. Semper enim dici patrem a se interfectum esse, verum etiam ab Iustitia, quod pater unus de Graecis filiam suam dis mactare ausus sit.

ος
εἶεν, δίδαξον δή με, τοῦ χάριν τίνων
ἔθυσεν, αὐτήν; πότερον Ἀργείων ἐρεῖς;

Omnes quos quidem evolvi interpretes praeter Hermannum et Reiskium cum scholiasta apographi Barocciani adnotante: ἤγουν τίνος χάριν ἀποδιδοὺς ἐθυσίασεν αὐτήν; τοῦτο δηλοῖ τὸ τίνων ἤγουν ἀποδιδούς. ἔστι δὲ μετοχὴ καὶ οὐ γενικὴ πληθυντική, vocabulum τίνων aiunt participium esse verbi τίνειν. In quo primum offendit genetivus personae cum formulae χάριν τίνειν iunctus. Loci enim a Wolffio allati, Aesch. Agam. v. 821 et Prom. v. 985, nihil probant. Nam in eis χάριν τίνειν cum dativo personae iunctum est. Sed ut latine dici nequit alicuius gratiam referre pro alicui gr. rf., sic nego Graecum esse χάριν τίνειν τινός pro τινί dictum, nisi forte quum veteres Graeci χάριν τίνειν, ἀποδιδόναι, ἀπονέμειν, εἰδέναι, ὁμολογεῖν, ἐκτίνειν, ἀπομνήσασθαι, ἔχειν cum dativo personae et genetivo rei vel ἀντί cum genetivo aut ἐπί cum dativo constanter copulaverint, Sophocles hoc uno loco — nullum enim aliud exemplum legitur — χάριν τίνειν cum genetivo personae iunxit. Corrigendum igitur est, si poetam graece loqui velis τῷ χάριν τίνων, sq. v. Ἀργείοις. Quae correctio quum sit violentior quam ut admitti possit, tum ne id faciamus obstat v. 537. Diserte enim ibi dicitur propter Menelaum fratrem mactavisse Agamemno filiam, ἀλλ' ἀντ' ἀδελφοῦ δῆτα Μενέλεω κτανὼν —.

Et Electra matris refutans argutias v. 563 ἐροῦ δέ, inquit, τὴν κυνάγον Ἄρτεμιν, τ ί ν ο ς π ο ι ν ὰ ς τὰ πολλὰ πνεύματ' ἔσχ' ἐν Αὐλίδι, quod longissime credo abest a notione g r a t i a e. Tum El. 575 versus

ἀνθ' ὧν ἔθυσεν αὐτήν, οὐχὶ Μενέλεω χάριν.

eodem est positus sensu quo ὧν χάριν respondens Clytemnestrae τοῦ χάριν. Atque plane παραλλήλως opposita sunt v. 585

εἰ γὰρ θέλεις, δίδαξον ἀνθ' ὅ τ ο υ τανῦν
αἴσχιστα πάντων ἔργα δρῶσα τυγχάνεις.

Denique quid sibi volunt verba τοῦ χάριν τίνων '*cuius gratiam*

referens' in hoc sententiarum nexu? E quibus colligitur Clytemnestram ut v. 537 dixerat: '*propter Menelaum*', vv. 534 sq. simpliciter dixisse: '*quapropter, num propter Argivos?*' Quae Hermannum non fugisse puto τίνος, quod a manu prima in La correctum est et hinc quaedam apographa exhibent, recipientem et post τοῦ distinguentem. Ita enim duplex fit interrogatio τοῦ i. e. ἀντὶ τοῦ et τίνος χάριν pro qua re et cuius gratia, ut alteram referatur ad acceptum aliquod beneficium, alterum ad eum cui gratum quid facere voluerit Agamemno. Sed neque video cur hic dupliciter interroget Clytemnestra, quum particula δή cum imperativo δίδαξον coniuncta, dic quaeso, iam satis ostenderit animi impatientiam, neque in eius aut Electrae oratione id beneficium commemoratur, quo accepto ex Hermanni coniectura Agamemno filiam dicatur mactavisse. Reiskii πρός χάριν quamquam sententiae optime convenit, tamen quum non sit veri simile πρός in τοῦ corruptum esse, itaque nullis artis criticae legibus comprobetur, non est cur respiciam.

Atque quum in La manus prima scriptum τίνων ipsa superscripto ος in τίνος correxerit, nos autem e Dindorfii praefatione edit. Oxon. III vol. I p. IV didicerimus codicem a librario, postquam totus esset exaratus, denuo cum archetypo esse collatum, correcta quae minus recte transscripta essent, puto τίνος in archetypo scriptum exstitisse et conicio hoc interpretamentum esse voculae τοῦ atque in textum illatum genuinum expulisse vocabulum. Quod quamquam admodum incertum est quale fuerit, tamen quoad eius fieri potest probabiliter a me restitui posse confido. Reputanti enim, quidnam poeta verbis τοῦ χάριν ἔθυσεν αὐτήν ut metrum expleretur, addere potuisset sententia loci neque mutata neque exaggerata, obversabantur v. 530 ἐπεὶ πατήρ τὴν σὴν ὅμαιμον — ἔτλη θῦσαι et v. 571 ὡς πατὴρ — ἐκθύσειε τὴν αὐτοῦ κορήν. Restitui igitur τοῦ χάριν πατὴρ ἔθυσεν αὐτήν; in progr. gymn. Wongrovic. a. 1876. Quam vocem iam ab Tourniero restitutam esse Nauck in app. crit. edit. VII fab. Electrae a. 1877 adnotat.

Tum demum apte sequuntur πότερον Ἀργείων ἐρεῖς; Patrem Clytaemnestra Agamemnona maritum appellat ut v. 525 et alibi.

Oed. R. v. 50. Flamen Dialis ut Romanorum vocabulo in sacerdotio Graeco utar, qui magna senum ac iuvenum caterva comitatus Oedipum adierat ut auxilium ferret in pestilentiam

perniciosam, regem pristinae quam in urbe a Sphinge liberanda praestiterit curae admonet, ne regni eius minime reminiscantur

στάντες ἐς ὀρθὸν καὶ πεσόντες ὕστερον.

Ut metrum quod laeditur trochaeo pro iambo vel spondeo posito restitueretur iam a manu libri Laurentiani a particula τε participio στάντες adiuncta est. Sed particulis τέ—καί participia στάντες et πεσόντες ita inter se artissime coniunguntur ut sententia prodeat: 'quum erecti tum postea deiecti'. Ita maior vis posteriori membro tribuitur. Quod falsum est. Nam duo participia sola particula καί copulanda sunt, quum sententia requiratur: 'erecti et postea deiecti'. E contrario igitur Triclinius γέ interposuit, quo interposito prius membrum maiore cum vi dictum est quam posterius, quamquam utrumque aeque valeat necesse est. Itaque Blaydes ἐς in κατ' mutavit. Sed quum πεσόντες respondeat solum soli participio στάντες, adverbium ὕστερον non habet cui opponatur. Sententiae enim ratione efficitur ut sacerdos dicat '*fore ut minime reminiscerentur Oedipi* primo *erecti post deiecti*', vel ut latine loquar, '*quum* primo *conservati post periissent*. Removenda igitur esse censeo verba ἐς ὀρθόν ad intellegendum participium στάντες a quovis margini ascripta post scriptoris verbis addita, pro quibus inserendum conicio τ ο π ρ ῶ τ ο ν. Quod temporis adverbium articulo adiuncto aptissime hoc nostro loco adv. ὕστερον oppositum est, ut sententia efficiatur: '*quum primo conservati post perierimus*'.

vv. 216—275. Oedipus Rex per Creontem edoctus ideo ab Apolline Thebanorum terram gravi pestilentia conflictari, quod Laii caedes nondum expiata sit atque homicida inter eos ipsos commoretur, se domum recipit. Ubi dum chori canticum fit moratus in scaenam prodit ut praescribat, quae ad homicidam exquirendum facienda putet, versibus qui tractantur. Cuius exsecrationis, ita enim ab homicidae exsecratione appellari solet haec regis oratio, ordo aliis rectus aliis videtur turbatus esse. Inquiramus igitur, quae sententiae quomodo inter se conexae sint. Oedipus enim haec fere dicit: Quae chorus precetur, remedium et malorum levamen, paratum iri, si verba sua accipiat et morbo succurrat. Alienum se facti locuturum neque ipsum multum profecturum investigando, quod indicium non haberet,

οὐ γὰρ ἂν μακρὰν
ἴχνευον αὐτὸς οὐκ ἔχων τι σύμβολον,

vv. 216—221. Ita exorsus sic pergit: novissimum igitur Theba-

norum civem se edicere, quisquis Laii sicarium noverit, eum indicet. Et si metuat sibi, crimine sublato ipse in se sc. indicet — fore enim ut tutus terra excedat. Sin quis alium alia ex terra noverit, ne sicarium taceat, praemium ei futurum et gratiam. Sin vero taceant aut amico aut sibi metuentes, edicere ne quis Thebanorum homicidam recipiat neve sacrorum consortem faciat. Imo vero tanquam scelestum domibus eum pellant, vv. 222—243. Hactenus omnia recte se habent neque quicquam mutandum videtur. Verum alia est ratio eorum quae sequuntur. Nam postquam dixit se talem deo et Laio mortuo se socium praebere, homicidam exsecratur (*κατεύχομαι* v. 246) ut malus male vitam degat miseram, addit (*ἐπεύχομαι* v. 249), si se conscio suae domi sit, eadem se pati velle, quae modo hisce precatus sit, v. 251

παθεῖν ἅπερ τοῖσδ' ἀρτίως ἠρασάμην

Hic quaeritur quid sibi velit pronomen *τοῖσδε*. Fieri enim non potest, quin hac vocula chorus vel Thebani significentur, minime vero socii caedis v. 246, *πλειόνων μέτα*, ut Hasselbach et Wecklein contendunt. Nam Oedipus ne novit quidem utrum unus tantum caedem fecerit an multi. Et his multis, qui fortasse ne fuerunt quidem, maledicendum fuerit? Neque ipse rex bis maledixit, sed tantum uni caedis auctori sive is unus fuerit sive cum pluribus, cf. vv. 246 sqq.

κατεύχομαι δὲ τὸν δεδρακότ', εἴτε τις
εἷς ὢν λέληθεν εἴτε πλειόνων μέτα,
κακὸν κακῶς νιν ἄμορον ἐκτρῖψαι βίον.

Quod cum ita sit, apparet praemittenda fuisse ea quae rex Thebanis precatus sit. Quae vv. 269—272 demum sequuntur. Accedit quod vv. 244 sq.

ἐγὼ μὲν οὖν τοιόσδε τῷ τε δαίμονι
τῷ τ' ἀνδρὶ τῷ θανόντι σύμμαχος πέλω,

multo aptius totam concludunt exsecrationem, quibus soli adiungi debent vv. 273 sqq.

ὑμῖν δὲ τοῖς ἄλλοισι Καδμείοις, ὅσοις
τάδ' ἔστ' ἀρέσκονθ', ἥ τε σύμμαχος Δίκη
χοἰ πάντες εὖ ξυνεῖεν εἰσαεὶ θεοί.

Unde consequitur ut traditus horum versuum ordo sit turbatus. Quo concesso iam licet eos sic ordinare ut rectae dispositionis legibus convenientissimum videtur. Sequuntur autem etiam plura perturbationis vestigia. Nam ubi vv. 252—268 Thebanis crimini vertit, quod facinus inexpiatum sivissent et exposuit,

cur igitur ipse potissimum pro rege interempto ex antiquo illo genere clarissimo orto, vv. 267 sq., pugnet, continuo addit vv. 269—272, se iis qui haec (*ταῦτα*) non agant, a dis precari, ne fruges terra proferat ullas neve mulieres pariant subolem, sed eadem qua nunc affictentur intereant lue vel etiam acerbiore. Haec vero iis quae proxime praecedunt non adiungi posse, sed potius iis quae vv. 222—243 dicta sint manifestum est. Neque intellego quo modo exsecrationis extremi versus 273—275 iis qui nunc praemissi sunt apte continuentur. Nam v. 273 *ὑμῖν δὲ τοῖς ἄλλοισι Καδμείοις* non opposita sunt *τοῖς ταῦτα μὴ δρῶσι* v. 269, verum v. 244 *ἐγὼ μὲν οὖν.*

Neque pars eorum qui nihil mutandum censent perversum esse sententiarum ordinem negat, sed contendunt regem propter ea quod de civitatis salute maxime sollicitatus sit perturbate loqui. At primum sollicitudo personae tragicae exprimi non solet a poetis sententiis confusis atque perturbatis, nisi forte insanientem eam finxerunt. Deinde regis sollicitudo maior est quum primum audivit de causa morbi, etiam maior quum Creonti et Tiresiae succenset, neque tamen ullis sententiis perturbatis a poeta significatur. Tum tantum abest ut rex sollicitudine affectus sit, ut tranquille et considerate quae sentiat exponat. Cf. quae initio huius disputatiunculae enarravimus. Itaque Heinemann, ad crit. aesth. Oed. Reg. Brunsvig. 1858, lacunosam habuit orationem. Tale quid vero tum demum statuendum est, quum alia emendandi ratio fieri nequit. Optimo igitur iure alii versus in pristinum et qui sanae dispositionis legibus respondeat ordinem refingendum esse censent. Quorum cautissimus Bernhardy in hist. litt. Graec. II, 2, p. 326 satis habuit solos vv. 244 sq. ad finem exsecrationis post v. 272 retrahere. Hic igitur quae ego de ratione pronominum *ἐγὼ μέν* v. 244 et *ὑμῖν δέ* v. 273 supra dixi, iam cognovit. Maur. Schmidt quum in annal. schol. Austr. 1864 p. 10 sqq. vv. 244 sq. et 269—272 permutari iussit, et illis versibus regis exsecrationem concludi et hos versus versibus 246 sqq. praemittendos esse perspexit. Quod iam vocabulis inter se excipientibus *εὔχομαι* v. 269, *κατεύχομαι* v. 246, *ἐπεύχομαι* v. 249 demonstratur. Quorum uterque rectam emendandi viam ingressus cetera quae offendunt reliquit. B. autem Todt in annal. schol. Berol. n. s. 1867 I p. 221 comprobante A. Nauckio vv. 244 sq. inter v. 251 et v. 273 collocandos censet. At vero hac interpositione vv. 246—268 qui artissime inter se cohaerent dirimuntur, quum in iis contineantur homicidae exsecratio vv. 246—248,

regis in se ipsum dirae, si caedis sit conscius, vv. 249—251, opprobria in Thebanos tam diu piaculi neglegentes vv. 252—258, causae cur rex ipse Laium vindicet vv. 258—268. Quos versus continuos dirimi quam dubium ac periculosum sit, non est quod disertius moneam. In primis vero qui vehementer virorum dd. animos commovit O. Ribbeck in mus. rhen. n. s. XIII p. 129—132 vv. 246—251 post v. 272 transponendos statuit. Cui cum obstitisset Classen in mus. rhen. n. s. XVI p. 489 sqq., respondit ille ibid. p. 501 sq., retractavit et quae iam exposuerat confirmavit in adnotatt. epicrit. ad orat. reg. Kiel a. 1870. A quo Hasselbach in Philol. XX p. 211 sqq., Tycho Mommsen, progr. gymn. Francof. ad Moen. 1865 p. 5—15, Wecklein, ars Soph. emend. p. 65 sq. traditum versuum ordinem defendunt, stant Gu. Dindorf, A. Nauck, Fr. Haase, ind. lectt. bib. Wratisl. 1856/7, Rob. Enger in Philol. XV p. 107, Gu. Teuffel in Jahn. annal. LXXXVII p. 393 sqq. Praeterea multi alii pro hac sententia et contra eam dixerunt. Quos omnes, quum non tam auctoritatis, ut Cicero ait, in disputatione, quam rationis momenta quaerenda sint, hic afferre non attinet. Ribbeckii autem transpositione sana versuum dispositio plane restituta esse mihi non videtur. Relinquuntur enim praeter alia quae offendunt pristino quem falsum esse supra demonstrasse mihi videor loco vv. 244 sq. Audacissimus vero Herwerden Batavus versus sic ordinavit: vv. 216—243, 255—268, 244 sq., 252—254, 269—272, 246—251, 273—275. Quo ordine vv. 244 sq. non extrema exsecratione collocati sunt et viginti versus qui inter se arctissime cohaerent vv. 246—266 in tres partes divisi ac dirempti sunt. Quae cum ita sint, restat ut ipsi versus in antiquum a poeta constitutum ordinem redigere conemur. Quod ut faciamus, potiora eorum quae supra enarravimus paucis repetamus. Offendit tradito loco v. 251, qui cum quinque versibus praecedentibus post vv. 269—272 transponendus est. Quo facto verba *εὔχομαι, κατεύχομαι, ἐπεύχομαι* rectissime continuantur. Vv. autem 244 sq. nisi post vv. 269—272 atque 246—268, quos dirimi posse supra negavi, collocari non possunt. Ubi transpositi cum vv. 273—275 regis exsecrationem concludunt. Iam habes meum versuum perturbatorum ordinem: 216—243, 269—272, 246—268, 244 sq., 273—275.

ΟΙΔ. αἰτεῖς. ἃ δ᾽ αἰτεῖς, τἄμ᾽ ἐὰν θέλῃς ἔπη 216
κλύων δέχεσθαι τῇ νόσῳ θ᾽ ὑπηρετεῖν,
ἀλκὴν λάβοις ἂν κἀνακούφισιν κακῶν·

ἀγὼ ξένος μὲν τοῦ λόγου τοῦδ᾽ ἐξερῶ,
ξένος δὲ τοῦ πραχθέντος. οὐ γὰρ ἂν μακρὰν 220
ἴχνευον αὐτὸς οὐκ ἔχων τι σύμβολον.
νῦν δ᾽, ὕστερος γὰρ ἀστὸς εἰς ἀστοὺς τελῶ,
ὑμῖν προφωνῶ πᾶσι Καδμείοις τάδε·
ὅστις ποθ᾽ ὑμῶν Λάιον τὸν Λαβδάκου
κάτοιδεν ἀνδρὸς ἐκ τίνος διώλετο, 225
τοῦτον κελεύω πάντα σημαίνειν ἐμοί·
κεἰ μὲν φοβεῖται, τοὐπίκλημ᾽ ὑπεξελὼν
αὐτὸς καθ᾽ αὑτοῦ —· πείσεται γὰρ ἄλλο μὲν
ἀστεργὲς οὐδέν —, γῆς δ᾽ ἄπεισιν ἀσφαλής.
εἰ δ᾽ αὖ τις ἄλλον οἶδεν ἐξ ἄλλης χθονός, 230
τὸν αὐτοχεῖρα μὴ σιωπάτω· τὸ γὰρ
κέρδος τελῶ ᾽γὼ χἠ χάρις προσκείσεται.
εἰ δ᾽ αὖ σιωπήσεσθε, καί τις ἢ φίλου
δείσας ἀπώσει τοὔπος ἢ χαὐτοῦ τόδε,
ἃκ τῶνδε δράσω, ταῦτα χρὴ κλύειν ἐμοῦ. 235
τὸν ἄνδρ᾽ ἀπαυδῶ τοῦτον, ὅστις ἐστί, γῆς
τῆσδ᾽, ἧς ἐγὼ κράτη τε καὶ θρόνους νέμω,
μήτ᾽ εἰσδέχεσθαι μήτε προσφωνεῖν τινά,
μήτ᾽ ἐν θεῶν εὐχαῖσι μηδὲ θύμασιν
κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβος νέμειν· 240
ὠθεῖν δ᾽ ἀπ᾽ οἴκων πάντας, ὡς μιάσματος
τοῦδ᾽ ἡμὶν ὄντος, ὡς τὸ Πυθικὸν θεοῦ
μαντεῖον ἐξέφηνεν ἀρτίως ἐμοί. 243
καὶ ταῦτα τοῖς μὴ δρῶσιν εὔχομαι θεοὺς 269
μήτ᾽ ἄροτον αὐτοῖς γῆς ἀνιέναι τινὰ 270
μήτ᾽ οὖν γυναικῶν παῖδας, ἀλλὰ τῷ πότμῳ
τῷ νῦν φθερεῖσθαι κἄτι τοῦδ᾽ ἐχθίονι· 272
κατεύχομαι δὲ τὸν δεδρακότ᾽, εἴτε τις 246
εἷς ὢν λέληθεν εἴτε πλειόνων μέτα
κακὸν κακῶς νιν ἄμορον ἐκτρῖψαι βίον.
ἐπεύχομαι δ᾽, οἴκοισιν εἰ ξυνέστιος
ἐν τοῖς ἐμοῖς γένοιτ᾽ ἐμοῦ ξυνειδότος, 250
παθεῖν ἅπερ τοῖσδ᾽ ἀρτίως ἠρασάμην.
ὑμῖν δὲ ταῦτα πάντ᾽ ἐπισκήπτω τελεῖν,
ὑπέρ τ᾽ ἐμαυτοῦ, τοῦ θεοῦ τε, τῆσδέ τε
γῆς ὧδ᾽ ἀκάρπως κἀθέως ἐφθαρμένης.
οὐδ᾽ εἰ γὰρ ἦν τὸ πρᾶγμα μὴ θεήλατον 255
ἀκάθαρτον ὑμᾶς εἰκὸς ἦν οὕτως ἐᾶν,
ἀνδρός γ᾽ ἀρίστου βασιλέως τ᾽ ὀλωλότος,

ἀλλ' ἐξερευνᾶν· νῦν δ' ἐπεὶ κυρῶ τ' ἐγώ,
ἔχων μὲν ἀρχάς, ἃς ἐκεῖνος εἶχε πρίν,
ἔχων δὲ λέκτρα καὶ γυναῖχ' ὁμόσπορον 260
κοινῶν τε παίδων κοίν' ἄν, εἰ κείνῳ γένος
μὴ 'δυστύχησεν, ἦν ἂν ἐκπεφυκότα —
νῦν δ' ἐς τὸ κείνου κρᾶτ' ἐνήλαθ' ἡ τύχη·
ἀνθ' ὧν ἐγὼ τάδ', ὡσπερεὶ τοὐμοῦ πατρός,
ὑπερμαχοῦμαι κἀπὶ πάντ' ἀφίξομαι 265
ζητῶν τὸν αὐτόχειρα τοῦ φόνου λαβεῖν,
τῷ Λαβδακείῳ παιδὶ Πολυδώρου τε καὶ
τοῦ πρόσθε Κάδμου τοῦ πάλαι τ' Ἀγήνορος. 268
ἐγὼ μὲν οὖν τοιόσδε τῷ τε δαίμονι 244
τῷ τ' ἀνδρὶ τῷ θανόντι σύμμαχος πέλω. 245
ὑμῖν δὲ τοῖς ἄλλοισι Καδμείοις, ὅσοις 273
τάδ' ἔστ' ἀρέσκονθ', ἥ τε σύμμαχος Δίκη
χοἰ πάντες εὖ ξυνεῖεν εἰσαεὶ θεοί. 275

Adnotationes:

v. 217. Verbum ὑπηρετεῖν est vox quae dicitur media et hoc loco idem quod nostrum abhelfen, Latinorum subvenire malo, subsidio esse, cf. Caes. bell. Gall. II, 20, 3: his difficultatibus duae res erant subsidio, scientia atque usus militum. Plinii hist. natur. 22, 25 (61) subvenire morbo.

v. 221. La αὐτὸ μή ferri non potest. Nihil enim indicii habet Oedipus. Facile autem fieri potuit, ut pronominis αὐτός littera finalis mutaretur in μ; compares litterarum σ et μ formas quas vocant quadratas Ϲ et Μ. Quibus permutatis correctum est ab aliquo librario vel grammatico suppleto vocali η αὐτὸ μή. Recepi igitur Schneidewini emendationem.

v. 227 pro codd. ὑπεξελών Halm ὑπεξελεῖν. At nihil opus est mutari, quum e verbo σημαίνειν quod est in apodosi prioris periodi conditionalis facile audire possis idem vel aliud accusandi verbum, ut sententia sit: '*et si metuit sc. sibi, crimine sublato ipse in se sc. indicium faciat*'. Quale verbum eo facilius a rege hic omitti poterat, quod et moris fuit Graecorum ut talis enuntiationis protasis aut apodosis, quae quidem facile mente audiebatur, praetermitteretur et Oedipi vel maxime interest, ut quam celerrime adseveret tutum eum, qui se ipse indicaverit, abiturum.

v. 229. pro ἄλλον Nauck ἐλθόντ', ἀσφαλής codd., γρ. ἀβλαβής m. rec. La.

v. 230. retinui codd. ἐξ spreta Vauvillersii mutatione ἢ 'ξ.

Postquam enim tribus vv. 224—226 indicare iussus est is qui homicidam noverit et tribus vv. 227—229 homicida ipse, his tribus vv. 230—232 indicium facere iubetur is qui alium alia ex terra noverit. Fieri enim potest ut non sit Thebanus, sed peregrinus caedis auctor, qui nunc Thebis versatur. Nam Apollo solum hoc dixit v. 110 in Thebanorum terra esse antiqui sceleris vestigium et vv. 106sq. homicidas puniendos esse; qui vero fuerint, utrum Thebani an peregrini, omnino non enuntiaverat. Recte igitur tertium quod fieri potest additum est.

v. 239. *μηδέ* Elmsley, *μήτε* La, quod propter quater positum *μήτε* quin falso scriptum sit dubitari non potest; nam *μηδέ* postulatur sententia.

v. 242. *ἡμίν* Brunck, *ἡμῖν* codd.

v. 270. *αὐτοῖς* codd., *αὖθις* M. Schmidt; *γῆς* Vauvillers, *γῆν* codd.

v. 248. *ἄμορον* Porson, *ἄμοιρον* codd.

v. 258. *ἐπεὶ κυρῶ* Burton, *ἐπικυρῶ* codd. *τ'* codd., *γ'* Benedict.

v. 261. Non ausus sum mutare quae tradita sunt *κοινῶν τε παίδων κοίν' ἄν*, quamquam maxime placent quae M. Schmidt emendavit *καὶ νῦν γε*. Pro *κοίν' ἄν* Nauck *κύματ'*. cf. Meineke, analect. Sophocl. p. 224.

v. 264. *τάδ'* codd., *τοῦδ'* Mudge.

v. 265. *πάντ'* codd., *πᾶν* Nauck.

vv. 267sq. deleri iussit Burges. Sed his versibus antiquum et nobile regis occisi genus demonstratur, cuius successor ipse Oedipus est. Nova igitur causa adiungitur, quare caedem ulcisci obligatus sit.

Exempla versuum Sophoclis in libris manuscriptis transpositorum, ut certissima tantum afferram, praeter alia haec sunt: huius fabulae vv. 404—407 ab Engero transpositi post v. 428. OC. vv. 466—480 aliter quam tradito ordine continuavit Bergk, eiusd. fab. vv. 1142—1149 Thesei orationem continentes inter se transposuit Tournier Francogallus. Ant. vv. 663 - 666 et 667—671 inverso ordine in libris leguntur, transposuit Seidler. Trach. vv. 400—404 ordinem correxit Nauck, eiusd. fab. vv. 616—623 post v. 632 idem collocavit.

Quas versuum transpositiones, ut interpolationes, ab histrionibus videntur profectae esse. Neque enim cum Lycurgi legem illam respicimus dubitare possumus, quin in fabulis in scena agendis histriones summa libertate atque summo arbitrio usi sint. Quod

nisi factum esset, illa lex neque rogata neque lata fuisset. Posterioribus autem temporibus satis habuerunt librarii, quicquid in veteribus libris manu scriptis traditum inveniebant, diligenter transscribere levioribus tantum mendis velut glossematis, aberrationibus, litterarum corruptionibus etc. commissis. De Sophoclis autem fabularum quasi historia critica quid sentiam alias sum expositurus.

OC. vv. 47 sq. Oedipus senex caecus, ignarus quo ab Antigona filia ductus pervenerit, ex incola quaesiturus erat, ubinam esset. Qui priusquam eum edoceat, monet ut sede quam occupavit excedat. Sed Oedipi verbis commotus eum sede movere non iam audet.

ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἐμόν τοι τοὐξανιστάναι πόλεως
δίχ᾽ ἐστὶ θάρσος, πρίν γ᾽ ἂν ἐνδείξω τί δρῶ;

His in versibus offensio nobis occurrit, quam ut expedirent non contigisse adhuc interpretibus persuasum habeo. Inest ea illi membro *πρίν γ᾽ ἂν ἐνδείξω τί δρῶ.* Quod nequidquam collata formula *ἀποστῆναι πρός τινα* defendebatur. Nam in activa quidem forma *ἀφιστάναι τινὰ ἀπό τινος* vel *τινά τινος*, *facere ut quis ab aliquo deficiat*, simul facile intellegitur hunc deficere ad eum qui faciat ut deficias, velut Thucyd. I, 81, init.: *εἰ δ᾽ αὖ,* Archidamus loquitur rex Lacedaemoniorum, *τοὺς ξυμμάχους,* sc. *τῶν Ἀθηναίων*, *ἀφιστάναι πειρασόμεθα* — sponte subintellegitur: ad Lacedaemonios. Sed passive vel intransitive dicto *ἀποστῆναι, adduci ab aliquo ut deficias* vel *deficere,* nisi satis constat e loci sententia, praepositione *πρός* adiungendus is est, ad quem fit defectio. Hanc Graecis facillimam esse ellipsim vel frequens eius usus apud scriptores historiarum et oratores demonstrat. Similiter in formula *οἱ ἐκ τῶν πολέμων θαπτόμενοι* = *οἱ ἐν τοῖς πολέμοις ἀποθανόντες καὶ ἐκ τούτων θαπτόμενοι*, notio media praetermissa est, Thuc. II, 35 init. Quae ubique fere praetermitti solet a breviloquentiae studiosis, dum modo dictio coartata intellegi possit ac recte sit composita. Longe vero alia est ratio verbi *ἐνδείκνυμι.* Etenim quum quis detulerit ad iudicium vel magistratum, non huic iudices vel magistratus praecipiunt, quod ei faciendum sit, nisi forte eo munere civitatis fungitur, quo obligatus sit ut facto intercedat, sed ipsis videndum est, quid sibi faciendum sit, ut noxius puniatur. Ut igitur hic dici possit *ἐνδείκνυμι τί δρῶ,* recte Rob. Enger, ni fallor, in Philol. vol. XV, recens. libr. ad Sophoclem spect., adnotavit, sequi incolam, quem

Coloneum fuisse e v. 78 δημόταις (*tribules*, nostrum Gaugenossen) conicio, putandum esse sacrorum custodem. Quod neque a scholiastis neque a Sallustio auctore argumenti hui. fab. traditur neque ex ipsa fabula colligi potest. Versu enim 506 a choro accola luci, ἔποικος ἄλσους, indicatur qui Ismenae sacrificaturae quae opus sint suppeditet. Hic igitur sacrorum faciendorum tanquam minister atque aedituus et domi suae morans habetur. Ergo quum e vv. 297 sqq. cognoverimus eum, qui Oedipum primus aspexerit atque allocutus sit et Coloneos de eius facinore certiores fecerit i. e. incolam, qui Oedipum de sede pulsurus erat, abiisse ut Theseum arcessat, fieri non potest ut idem sit accola luci, quem chorus l. c. adesse memorat. Tale quid etiam Reisig sensisse videtur adnotans in commentt. crit. ad OC. p. 182: 'in tanta tam inusitata re hospes ne sperare quidem poterat, sibi aliquam curam eius rei demandatum iri a civibus'.

Itaque hac interpretatione reiecta, qua sola defendi potest vulgata lectio, formula tam elliptice dicta est ut sibimet tantum non repugnat ac tam obscure ut ferri nequeat. Quibus adducti, opinor, Wex et Bergk post ἐνδείξω plene distinxerunt, ita ut verbis τί δρῶ directe rogetur. Quam vero moleste et inepte haec interrogatiuncula addatur, non solum continui versus numeri, sed etiam ea quae Oedipus denuo precatur ostendunt. Coniecturis Schneidewini πρίν γ' ἂν ἐνδείξῃ, sc. ἡ πόλις, τί δρῶ, in quam item quae supra exposui cadunt, et Hartungi ἐνδείξω ὅτι δρᾷς satis respondit H. Bonitz, v. d., in actis societ. Vindobon. vol. XVII p. 462. Eleganter ut solet Martin ἐξειδῶ proposuit. Sed hoc recepto membrum posterius πρίν γ' ἂν ἐξειδῶ τί δρῶ non convenit priori. Nam e Martini lectione locus sic est interpretandus: '*non audeo te iniussu urbis de sede depellere, priusquam cognovero quid mihi faciendum sit*'. A quo id cognosceret incola? Videlicet a civitate vel eius magistratibus! Sed apparet tum urbem aptius in membrum posterius quadrare et poetam multo concinnius composuisse: '*non audeo te repellere de sede, priusquam civitas me docuerit quid mihi faciendum sit*'. E Martini igitur coniectura languidissime procederet oratio. Deinde idem in hanc cadit, quod in vulgatam cadere verissime contendit Enger, τί δρῶ tantum ab aedituo dici posse. Qui quod ipse coniecit participium ad ἐνδείξω supplendum esse vel μολών vel δραμών vel θορών, id tam incertum est, ut ad certam lectionem restituendam nihil valere iure dicas. Melius idem ἐνδείξων θόρω legendum putavit, cf. Trach. v. 1030 θρώσκει διολοῦσα — νόσος. Audacior Nauck

extrema duorum versuum verba deleta esse, versus in hunc fere modum refingendos opinatus est

> ἀλλ' οὐδ' ἐμόν τοι τοὐξανιστάναι [σ' ἕδρας]
> πόλεως δίχ' ἐστί, πρὶν γ' ἂν ἐνδείξω τι[νί].

Qui vir d. ut multis aliis locis miro acumine quid poeta scripserit perspexit, violentius sanandum esse, si hunc locum vere sanatum volueris, ingeniose coniecit. Tamen mihi emendationem perfecisse non videtur. Offendit enim non solum indefinitum *τινί*, pro quo multo magis pronomen civitatem demonstrans exspectaveris, sed etiam quo omnes quas attuli coniecturae vv. dd. offenderunt id retinuit. Nam et *ἐνδείξω* et *θάρσος ἐστὶ τοὐξανιστάναι* sana sunt, sed ut *τί δρῶ* corrupta esse recte statuit Enger, *δίχα πόλεως* corrupta traduntur. *Δίχα* enim cum genetivo copulatum nihil aliud nisi *separatim*, *procul a*, *sine* valet, non *iniussu*, ut Ellendt et reliqui intpp. volunt. Ai. enim v. 768, quem Ellendt praeter eum quem tractamus citat, *δίχα θεῶν* directe oppositum est v. 767 *θεοῖς ὁμοῦ* et v. 765 *σὺν θεῷ* *) itaque suam sibi vim vindicat. Usitata autem vi hic positum sententiam reddit ineptam. Senem enim imbecillum vir etiam sine civium auxilio solus repellere potuit. Quod vero potissimum est, quis non videt civitatem, *τὴν πόλιν*, prorsus non convenire in membrum prius, multo aptius adici verbo *ἐνδείξω*? Cuinam incola facinus Oedipi erat delaturus? Nempe civitati. Maxime vero *τί δρῶ* non admitti posse et *τὴν πόλιν* in membrum posterius inserendum esse probare mihi videntur illi paralleli ut ita dicam vv. 77 sqq.

> αὐτοῦ μέν' οὗπερ κἀφάνης, ἕως ἐγὼ
> τοῖσδ' ἐνθάδ' αὐτοῦ, μὴ κατ' ἄστυ, δημόταις
> λέξω τάδ' ἐλθών. οἵδε γὰρ κρινοῦσί σοι
> εἰ χρή σε μίμνειν ἢ πορεύεσθαι πάλιν.

Sicut enim incola his versibus indicat se facinus Oedipi delaturum esse tribulibus, ut hi, non urbani, Athenienses, decernant utrum manere debeat an recedere Oedipus, diserte delegans ad vv. 47 sq. verbis *μὴ κατ' ἄστυ*, nam mutavit consilium, sic vv. 47 sq. quoque se civitati delaturum esse dicat necesse est, ut haec decernat

---

*) Quae prima ac propria vi usurpata esse concedes memor Homeri poematum, quibus dii heroibus ut Minerva Ulixi Odyss. XIII, 301, Il. XXIII, 782 et Diomedi Il. V, 185 sq., 809 sq., 835 sqq. X, 278 sq. et Achilli Il. XX, 94 sqq., XXII, 214 sqq., Hectori Apollo Il. XV, 254 sqq., 307 et Ares Il. V, 595, 603 sq., ad latus stare dicuntur, ut simul eos excitent atque tueantur.

quid sit faciendum, ergo non ut ipse doceatur quod sibi sit faciendum. Quod si denique sententiarum conexum respicis, patet sensum requiri: '*non audeo te eicere de hac sede antea quidem quam ad civitatem detulero* vel sed potius *ad civitatem deferam*'. De hac part. *πρίν* vi cf. Il. I, 29 et adnot. Faehsii.

Conicio ergo Nauckii vestigia persecutus

ἀλλ' οὐδ' ἐμοί τοι τοὐξανιστάναι σ' ἕδρας
τῆσδ' ἐστὶ θάρσος, πρίν γ' ἂν ἐνδείξω πόλει.

Pronomen a substantivo diremptum videtur ut OR vv. 236 sq. *γῆς* ‖ *τῆσδ'*. *Ἐμοί τοι* a Seidlero emendatum pro *ἐμόν τοι* et Nauckio *κακοφώνως* sonans recurrit Ant. v. 728 *ἄναξ, ἐμοί τοι μή τι καὶ θεήλατον κτλ.* Quo si offendas, *ἀλλ' οὐδὲ μέν τοι* s. *μέντοι* corrigas. Quo facto sententia efficitur: '*neque vero profecto te depellere audeo,* quam loco convenire qui diverbii rationem perpenderit videbit. Compares velim similem particularum *ἀλλ' οὐδὲ μὲν δή* usum Ai. v. 877, El. v. 913, Trach. v. 1128.

Restat ut pauca disseramus de articulo in formula *θάρσος ἐστὶ τοὐξανιστάναι* admisso. Quem Nauck et Meineke hac in re diligentiores, ut mihi quidem videtur, non recte illicitum habuerunt. Quum enim formulae, quae idem significant atque verbum simplex, plane ut hoc infinitivum sequi patiantur, infinitivum vero apud poetas saepius quam apud scriptores prosae orationis cum articulo coniunctum inveniri constet, quode Hermann ad Ai. v. 114 disputavit, exempla collegerunt Ellendt et Genthe lex. Soph., haud mihi hac poetica licentia abusus videtur esse Sophocles, quum articulum hac in formula quae nihil aliud valet nisi *θαρσῶ* adhibuit. Sic formula *τῆς ἐλπίδος ἔρχομαι δεδραγμένος* plane ut verbum *ἐλπίζω* cum infinitivo et articulo coniuncta est. Iam vero meam si probaveris coniecturam, minus vel nihil offensionis spero relictum iri, quum formula facta sit *θάρσος ἐστὶ τό σε ἐξανιστάναι.* Conferantur similes articuli infinitivo iuncti usus Xenoph. Cyrop. V, 1, 28: *δαίμονος ἂν φαίην τὴν βούλησιν εἶναι, τὸ μὴ ἐᾶσαι ὑμᾶς μέγα εὐδαίμονας γίγνεσθαι.* Soph. Trach. v. 545: *τὸ δ' αὖ ξυνοικεῖν τῇδ' ὁμοῦ τίς ἂν γυνὴ δύναιτ' ἄν;* Thuc. II, 53, 3: *καὶ τὸ μὲν προσταλαιπορεῖν τῷ δόξαντι καλῷ οὐδεὶς πρόθυμος ἦν* et adnot. Classenii. Plat. Prot. p. 360 E: *φιλονεικεῖν μοι, ἔφη, δοκεῖς, ὦ Σώκρατες, τὸ ἐμὲ εἶναι τὸν ἀποκρινόμενον* et adnot. Sauppii.

Qua coniectura recepta, et *τί δρῶ,* quo in explicando haereri non poterat, remotum est et pronomen *σέ* iam a Meinekio desi-

deratum suo est positum loco. Incola enim timefactus Oedipi verbis suspensis et subobscuris vv. 44 sq.

> ἀλλ' ἵλεῳ μὲν τὸν ἱκέτην δεξαίατο·
> ὡς οὐχ ἕδρας γῆς τῆσδ' ἂν ἐξέλθοιμ' ἔτι,

et v. 46 ξυμφορᾶς ξύνθημ' ἐμῆς, desistit Oedipum de sede depellere, quod facturus erat, cf. vv. 36 sq.

> πρὶν νῦν τὰ πλείον' ἱστορεῖν, ἐκ τῆσδ' ἕδρας
> ἔξελθ', ἔχεις γὰρ χῶρον οὐχ ἁγνὸν πατεῖν,

et ad civitatem deferre mavult. Cf. schol. Laur. πρίν γ' ἂν ἐνδείξω· ἕως οὗ τῇ πόλει ἐνδείξω, quo demonstratur τὴν πόλιν cum ἐνδείξω iungendam esse. Quod alia ratione quam mea fieri posse negaverim.

Librarius extrema versuum verba commutavit, quae postea utcunque corrigebantur. Ita O. R. vv. 1411 sq. prima verba commutata esse probavit Burges, Trach. vv. 817 sq. extrema verba Nauck. Eiusd. fab. vv. 614 sq. legitur

> καὶ τῶνδ' ἀποίσεις σῆμ', ὃ κεῖνος εὐμαθὲς
> σφραγῖδος ἕρκει τῷδ' ἐπ' ὄμμα θήσεται.

Quae quum absurda esse intellexissent vv. dd., alius aliam excogitavit medelam. De sententia inter omnes constat. Aptissime igitur et simplicissime commutatis verbis extremis Burges et Nauck legendum censuerunt

> σῆμ' ὃ κεῖνος ὄμμα θεὶς
> σφραγῖδος ἕρκει τῷδ' ἐπ' εὖ μαθήσεται.

cf. El. vv. 1222 sq., ubi προσβλέψασα idem est quod hoc loco ὄμμα θείς.

Manifestum verborum transmutatorum in libris manu scriptis exemplum inveni in Isocratis Panegyrico § 130 c. 36. Exhibent enim codices optimi Urbinas et Ambrosianus: χρὴ δὲ κατηγορεῖν μὲν ἡγεῖσθαι τοὺς ἐπὶ βλάβῃ τοιαῦτα λέγοντας, νουθετεῖν δὲ τοὺς ἐπ' ὠφελείᾳ λοιδοροῦντας. Sed reliqui codices extremis membrorum periodi verbis commutatis — τοὺς ἐπὶ βλάβῃ λοιδοροῦντας, νουθετεῖν δὲ τοὺς ἐπ' ὠφελείᾳ τοιαῦτα λέγοντας. De latinis mihi occurrit Cic. orat. partitt. c. 3, § 8: 'scrutabimus et quaeremus ex omnibus, sed adhibebimus iudicium, ut levia et communia nonnunquam reiciamus, semper praetermittamus non necessaria'. Sic enim emendaverim quae traduntur perverse: 'ut levia semper eiciamus, nonnunquam etiam communia praetermittamus et non necessaria'. Ad sen-

tentiam cf. orat. c. 15 § 47 sqq. Alia commutatio legitur Nepot. Arist. c. 2 init. 'apud Plataeas in proelio, quo Mardonius fusus barbarorumque exercitus interfectus est'. Itane? Imo vero: 'quo Mardonius interfectus barbarorumque exercitus fusus est'. cf. vit. Pausaniae c. 1.

v. 380. Ismena de Polynicis et Eteoclis filiorum sorte patrem Oedipum certiorem quum facit, narrat natu maiorem, postquam patria a minore expulsus esset, fugitivum Argos advenisse et cum nova affinitate belli socios sibi ascivisse,

> ὡς αὐτίκ' Ἄργος ἢ τὸ Καδμείων πέδον
> τιμῇ καθέξων ἢ πρὸς οὐρανὸν βιβῶν.

Atque primum quidem *βιβῶν* temporis futuri participium verbi *βιβάζω* (*evehere*), non temporis praesentis participium verbi homerici *βιβάω* (*ire*) hic accipiendum esse, vel ex participio *καθέξων* quod est oppositum apparet. Fuerunt quidem, qui Brunckio auctore *βιβῶν* neutrum esse significans *ire* censerent, quo sensu non *ἢ—ἤ*, sed *καί—καί* legendum est. Quae mutatio violentior est, quam ut fieri potuisse veri simile sit. Neque Elmsleio concedendum est putanti metaphoram a gigantibus caelum scandentibus sumptam esse. Quo quid potest esse alienius? Sed formula ad similitudinem Homeri sermonis *κλέος οὐρανὸν ἵκει* vel *κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει* ficta idem significat, quod apud Homerum *εὖχός τινι δοῦναι*, Il. XIII v. 654

> — φημί — ἐμῷ δ' ὑπὸ δουρὶ δαμέντα
> εὖχος ἐμοὶ δώσειν, ψυχὴν δ' Ἄιδι κλυτοπώλῳ,

et saepe. Membra autem sibi opposita sunt ut Il. XIII, v. 327

> ὄφρα τάχιστα
> εἴδομεν ἠέ τῳ εὖχος ὀρέξομεν ἠέ τις ἡμῖν.

Versuum igitur sententia est: '*Polynices Argis belli socios sibi ascivit eo consilio, ut Argos aut Cadmeorum terram honore regat aut contra in caelum tollat*'. Sed fieri nullo modo potest, quin potius totius expeditionis auctor Polynices Thebanos recturus etc. dicatur, non Argos, cf. hui. fab. vv. 1305 sqq. ipsius Polynicis verba

> ὅπως τὸν ἑπτάλογχον ἐς Θήβας στόλον
> ξὺν τοῖσδ' ἀγείρας ἢ θάνοιμι πανδίκως
> ἢ τοὺς τάδ' ἐκπράξαντας ἐκβάλοιμι γῆς.

Quod ut explicarent, nequiquam tres scholiastae operam dederunt interpretantes nomen Ἄργος transgressione quadam non subiectum

duorum participiorum, sed obiectum alterius participii βιβῶν esse. Quae transgressio nullo poetarum, ut non dicam prosae orationis scriptorum, usu confirmatur. Itaque Nauck αὐτός pro Ἄργος textui inseri iussit, ut mihi quidem videtur, parum recte. Nam hoc pronomine Polynices ab aliis distinguitur, qui huius loci omnino non sunt. Censeo igitur pro Ἄργος, quod aberrans ad v. 378 eodem versus loco positum Ἄργος in transscribendo librarius falso scripsit, substituendum esse οὕτως, quo demonstrativo adverbio ea quae praecedunt gravissime et aptissime absolvuntur. En habes duos qui interpretum multos vexabant versus iam sanatos et explicatos

ὡς αὐτίχ' οὕτως ἢ τὸ Καδμείων πέδον
τιμῇ καθέξων ἢ πρὸς οὐρανὸν βιβῶν,

i. e. *'ea mente, ut brevi ita aut Cadmeorum terram honore regat aut victus in caelum tollat'*, sc. Polynices.

Cuius emendationis rationem non intellexit R. Schneider, ille mearum emendationum aequissimus iudex, cum οὕτως a me pro Ἄργος substitui non animadvertit. Non enim dixi, ab Argis urbe Cadmeorum terram honore regi aut contra in caelum tolli, sed ab Polynice; id quod minime durum esse, qui homericum loquendi usum respexerit, concedet.

v. 702. In praeclarissimo chori carmine quo poeta summis laudibus patriam effert inter alia terrae Atticae munera oliva celebratur,

τὸ μέν τις οὔτε νεαρὸς οὔτε γήρᾳ
σημαίνων ἁλιώσει χερὶ πέρσας.

Quorum versuum prior antistrophae versui πρώταισι ταῖσδε κτίσας ἀγυιαῖς non respondet. Quum igitur verba οὔτε γήρᾳ syllabis — σας ἀγυαῖς conveniant et verba versus antistrophici sana esse et metro, quod est iambicum logaoedicum, et sententia apparet, efficitur ut strophae verba τὸ μέν τις οὔτε νεαρός perperam tradita sint. Iam primum νεαρός non iuvenem, quem propter oppositum γήρᾳ σημαίνων dici oportet, sed infantem vel puerulum paucorum annorum significare et posteris demum graecitatis temporibus de iuvene usurpatum esse vir doctiss. Fr. Ritschl, quem honoris causa nomino, in disputatione elegantissima demonstravit, quam de nostro loco Bonnae anno hui. saec. LXII scripsit. 'Ad teneram enim illud aetatem puerilem, haudquaquam ad iuvenilem spectare exempla poetarum ad unum omnia evincunt', p. VI. Unde elucet hoc adiectivum inter-

pretamentum esse antiqui verbi poetae, quod primo verbis adscriptum vel interscriptum post in verborum contextum illatum est. Facili igitur mutatione Triclinius νέος restituendum statuit, sed hoc adiectivum quum responsionis legibus per synizesem quam vocant pronuntiandum sit, in thesi positum nulla vi ac gravitate verbis γήρᾳ σημαίνων opponitur. Quo accedit quod adi. νέος semper ab omnibus qui Graece loquebantur tam facile intellegebatur, ut nemo id per νεαρός explicare voluerit. Alia igitur emendatio excogitanda est. Sed mirum quoque est quod pronomine neutro τό ad φύλλον refertur, quum tamen in proxime sequentibus de oliva ipsa potius quam de eius folio verba ἀλιώσει χερὶ πέρσας praedicentur. Tum pronomen indefinitum τίς per transgressionem quandam hic positum est tanta vi ac gravitate, ut verba tradita vertenda sint: '*quod quidem quisquam neque iuvenis neque senex imperator exstinguet*'. Quam sententiam in contextum non quadrare per se intellegitur. Tantummodo enim requiritur: '*quam*, scil. olivam, *neque iuvenis neque senex imperator exstinguet*'. Facile igitur Triclinii coniecturam probaveris a Nauckio receptam τὰν οὔ τις. Quae verba quum respondeant antistrophae verbo πρώταισι, desunt syllabae quinque temporum et ita ut duae longae atque una brevis desiderentur. Quas ut expleret idem Ritschl p. VIII adiectivum ἀκμαῖος inseruit et ab Alfr. Schoenio pro γήρᾳ participium γηράς aoristi verbi γηράσκω recepit, pro participio σημαίνων substantivum Homericum σημάντωρ substituit. 'Quod enim requiritur hoc est, non ut sive iuvenis sive senex dicatur qui imperet, sed ut imperator sive is iuvenis est ut fuit Xerxes, sive senex ut Archidamus'. Legi igitur iussit

> τὸ μέν τις ἀκμαῖος οὔτε γηράς
> σημάντωρ ἀλιώσει χερὶ πέρσας,

quae interpretatus est: 'quod dux nullus hostilis, sive is ut Xerxes iuventutis robore superbiens, sive exuta iuvenili ferocia propriam senectutis gravitatem auctoritatemque consecutus ut Archidamus unquam exstinguet'. Ad quem usum adi. ἀκμαῖος duo ex Aeschylo exempla confert Pers. v. 441

> Περσῶν ὅσοιπερ ἦσαν ἀκμαῖοι φύσιν

et Eumen. v. 405 πώλοις ἀκμαίοις τόνδ' ἐπιζεύξασ' ὄχον.

At ἀκμή quum proprie acumen, tum tralate maturitatem aetatis floridae et robustae significat, non iuventutem ipsam per se, ἥβην, senectuti oppositam. Itaque adiectivo ἀκ-

ματος is denotatur apud poetas, qui est quasi in acumine aetatis robustae, quod est apud orationis solutae scriptores *ἀκμάζων*. Qua vi servata cum alibi tum in illis Aeschyleis locis usurpatur et ipse Sophocles hoc adiectivum sensu eius nativo servato ad tempus transfert Ai. v. 921

ὡς ἀκμαῖος, εἰ βαίη, 'ν μόλοι,

i. e. *in ipso temporis momento s. opportunissimus*. Ergo *ἀκμαῖος* hic seni imperatori opponi nequit. *Γηρᾶς* autem recepit, quod verbis *γήρᾳ σημαίνων* offendebat, quippe quae nihil nisi aut senectuti imperantem aut imperantem senectute significare possent. At quid, quaeso, offendit hic sensus: '*senectute imperans*', et dativus instrumenti vel causae? Sed cum sola vocabula *ἀκμαῖος* et *γηρᾶς* sibi opponi ratus pro participio *σημαίνων* illud *σημάντωρ* substitui vellet, eo adductus est, ut poetae verba non satis recte intellegeret. Sententia enim simplex loci haec videtur esse: '*quam neque iuvenis neque qui senectute imperat exstinguet*'. *γήρᾳ σημαίνων* est is qui senectute i. e. propter senectutem eiusque virtutes atque artes imperium gerit. Recte quidem e Reisigii sententia v. cl. adseverat imperatorem sive iuvenem sive senem hoc loco requiri, id quod negatur a Meinekio non reputante tale quid ut Jung u. Alt, puerum atque senem, *νεανίαν καὶ γέροντα* pro pronomine aienti unoquoque vel omni, minime pro neganti nemine vel nullo dici aut dici posse. Sed quod Ritschl diserte a poeta enuntiatum vult, sententia continetur. Nam postquam negavit poeta olivam exstinctum iri a iuvene, addit neque ab eo qui senectute imperet. Qua loquendi formula efficitur, ut quasi per figuram quandam *ἀπὸ κοινοῦ* poetis usitatissimam audituri intellegant iuvenem quoque imperatorem designari. Quum igitur verba *οὔτε γήρᾳ σημαίνων* sana et Triclinii lectio *τὰν οὔ τις* traditae *τὸ μέν τις οὐ* praeferenda esse videatur, solum restat glossema *νεαρός*, quo a Graeculo quodam Homericum illud *αἰζηός* explicatum esse conicio. Quo quid aptius ad designandum iuvenem Xerxem et contra collocandum seni Archidamo? De vocis *αἰζηός* radice ac vi cf. Goebel p. 397.

Legendum igitur est

τὰν οὔ τις αἰζηὸς οὔτε γήρᾳ σημαίνων.

Particulis negantibus *οὐ—οὔτε* membra ita componuntur, ut posterius priori tantummodo adiungatur, non artissime copuletur. cf. Il. VI vv. 450 sqq.

ἀλλ' οὔ μοι Τρώων τόσσον μέλει ἄλγος ὀπίσσω,
οὔτ' αὐτῆς Ἑκάβης οὔτε Πριάμοιο ἄνακτος,
οὔτε κασιγνήτων — ὅσσον σεῦ.

Od. IX, vv. 146 sqq.

ἔνθ' οὔ τις τὴν νῆσον ἐσέδρακεν ὀφθαλμοῖσιν·
οὔτ' οὖν κύματα μακρὰ κυλινδόμενα προτὶ χέρσον
εἰσίδομεν πρὶν νῆας ἐυσσέλμους ἐπικέλσαι.

Pind. Pyth. V v. 54.

πόνων δ' οὔ τις ἀπόκλαρός ἐστιν οὔτ' ἔσεται.

Theogn. v. 125.

οὐ γὰρ ἂν εἰδείης ἀνδρὸς νόον οὔτε γυναικός.

Soph. Ai. vv. 1199 sqq.

κεῖνος οὐ στεφάνων
οὔτε βαθειᾶν κυλίκων
νεῖμεν ἐμοὶ τέρψιν ὁμιλεῖν etc.

Cf. de hoc particularum *οὐ—οὔτε, μή—μήτε* usu Hermann in Eurip. Med. p. 330 sqq., 400 sqq., Kuehneri gramm. graec. II p. 828, 2, b.

vv. 800 sqq. Creon vv. 728—760 speciosa oratione Coloneos Oedipi verbis vv. 724 sq. sollicitatos de bonis suis consiliis lenire, Oedipum ipsum simulata misericordia placare studet. Facere autem non poterat, quin mala Oedipi et Antigonae commemoraret, sed exclamat

ἆρ' ἄθλιον τοὔνειδος, ὢ τάλας ἐγώ,
ὠνείδισ' εἰς σὲ κἀμὲ καὶ τὸ πᾶν γένος;

Rogat et orat ut senex sua sponte ad occultanda sua mala in patriam redeat. Cuius fraudulenta consilia Oedipus repudians quae ille dixit refutat vv. 761—799, quam orationem incipit vv. 761 sq.

ὦ πάντα τολμῶν κἀπὸ παντὸς ἂν φέρων
λόγου δικαίου μηχάνημα ποικίλον

et concludit

τὸ σὸν δ' ἀφῖκται δεῦρ' ὑπόβλητον στόμα,
πολλὴν ἔχον στόμωσιν· ἐν δὲ τῷ λέγειν
κάκ' ἂν λάβοις τὰ πλεῖον' ἢ σωτήρια.

Quibus Creon opponit vv. 800 sq.

πότερα νομίζεις δυστυχεῖν ἔμ' εἰς τὰ σὰ
ἢ σ' εἰς τὰ σαυτοῦ μᾶλλον ἐν τῷ νῦν λόγῳ;

In his quid sibi velit verbum δυστυχεῖν, neque ab aliis perspectum esse puto neque ego perspicio. Scholiastam enim secuti explicantem ἀντὶ τοῦ, ἐν τῷ πείθεσθαί σε μᾶλλον σὺ δυστυχεῖς ἤπερ ἐγώ, Creontis verba maxime ad Oedipi extremam orationem v. 799

οὐ γὰρ ἂν κακῶς
οὐδ' ὧδ' ἔχοντες ζῷμεν, εἰ τερποίμεθα,

referri existimant, a Creonte dici: 'noli credere me miserum esse tua apud Athenienses mansione, sed sic statue te longe miseriorem esse, quod persuaderi tibi negas ut Thebas redeas'. cf. Wunder ad hunc versum, qui est apud eum v. 797. Quod falsum est. Nam Oedipi verborum summa haec est: Tu Creon multis mihi malis paratis nunc bonis et speciosis verbis Coloneos decepturus huc venisti. Neque boni quicquam nunc mihi affers. Nam ut hisce quoque Coloneis te malum esse ostendam, ades non ut domum me abducas, sed ut finitimum me statuas, quo patria malis liberata sit. Id quod tibi non continget, sed hoc ut furia mea ibi versetur. Filiis autem tantum terrae obveniet, quantum satis sit mortuis. Multo igitur melius quam tu Creon ego Thebanas res intellego, quippe qui a Phoebo atque Iove ipso ea audiverim. At tu hic ades ficto ore atque duro, quo plura tibi mala quam bona parabis. Quum autem scio me tibi haec non persuasurum, abeas et nos hic vivere sinas. Non enim male, ne sic quidem, vivamus, si ita vivere nos iuvet'. Qua oratione audita Creon Oedipo respondere non potest illum miseriorem esse in suis rebus quam se ipsum aut si tralata vi δυστυχεῖν dictum statuas, illum magis caecum esse in suis rebus quam ipsum; immo vero ratione suorum ipsius verborum, vv. 753 sq. ἆρ' ἄθλιον τοὔνειδος ὠνείδισ' εἰς σὲ κἀμὲ καὶ τὸ πᾶν γένος, et Oedipi ὑποβλητὸν στόμα, πολλὴν ἔχον στόμωσιν habita dixisse putandus est: '*num tu arbitraris me tibi maledixisse an potius te tibi ipsum in hac tua oratione?*' Conicio igitur poetam scriptum voluisse δυστομεῖν, quod quanto aptius sit tradito δυστυχεῖν, docent quae Oedipus horum Creontis versuum quasi parodiam faciens loquitur vv. 960 sq.

ὦ λῆμ' ἀναιδές, τοῦ καθυβρίζειν δοκεῖς
πότερον ἐμοῦ γέροντος ἢ σαυτοῦ τόδε;

Nam Oedipi καθυβρίζειν fere idem est quod δυστομεῖν Creontis. Quo verbo poeta usus est hui. fab. v. 896, ubi Oedipum Creonti exprobrantem facit,

ἀλλ' ἓν γὰρ οὖν ἔξοιδα, σὲ μὲν ἑκόντ' ἐμὲ
κείνην τε ταῦτα δυστομεῖν.

— vv. 1019 sqq. Theseus Creontem quid faciat rogantem iubet

ὁδοῦ κατάρχειν τῆς ἐκεῖ, πομπὸν δέ με
χωρεῖν, ἵν', εἰ μὲν ἐν τόποισι τοῖσδ' ἔχεις
τὰς παῖδας ἡ μ ῶ ν αὐτὸς ἐκδείξῃς ἐμοί.

Antigona et Ismena a Theseo filiae suae dici non possunt. Itaque Hermann εἰλῶν verbum a Sophocle non usitatum, Dindorf τὰς τοῦδε παῖδας eiecto ἡμῶν, Elmsley, Bergk, Meineke pro genetivo dativum ἡμῖν, Wecklein ἐλθών proposuerunt. At his mutationibus nulla Thesei verborum primorum ὁδοῦ κατάρχειν τῆς ἐκεῖ ratio habita est. Quae ideo in oratione prima posita sunt, quod vi et gravitate quadam Thesei consilium indicant, ut Creon ipse d u x v i a e sit. cf. v. 1025 ἀλλ' ἐξυφηγοῦ. Quod aptissime fit nomine ἡ γ ε μ ώ ν, quo Sophocles hac ipsa propria eius significatione utitur hui. fab. v. 1542

ἐγὼ γὰρ ἡγεμὼν σφῶν αὖ πέφασμαι

et Antig. v. 1014 ἐμοὶ γὰρ οὗτος ἡγεμών et Suidas explicat ἡγεμών· ὁ τῆς ὁδοῦ ἡγούμενος, cf. Valkenaer ad Herodot. V, 14. Ἡμῶν autem ex ἡγεμών facillime coartari potuit. Quo coartato coniunctum est cum παῖδας et ut expleretur syllabae defectus pro δείξῃς, quod simplex hoc loco aptius est quam compositum, ἐκδείξῃς correctum. Refingo igitur versum, ἡμῶν in ἡγεμών mutato et transposito,

τὰς παῖδας αὐτὸς ἡ γ ε μ ὼ ν δείξῃς ἐμοί.

vv. 1435 sqq. Polynices a patre repudiatus atque exsecratus Antigonam hortatur, ne ipsum moretur. Iam sibi viam cordi futuram infaustam atque malam, tum sorores ambas valere iubet verbis

σφῷν εὐοδοίη Ζεύς, τάδ' εἰ τελεῖτέ μοι
θανόντ', ἐπεὶ οὔ μοι ζῶντί γ' αὖθις ἔξετον.
μέθεσθε δ' ἤδη, χαίρετόν τ'. οὐ γάρ μ' ἔτι
βλέποντ' ἐσοψεσθ' αὖθις. ΑΝΤ. ὦ τάλαιν' ἐγώ.

Pro εὐοδοίη, quod Hermann in adnot. ad hunc versum exile Polynicis κακῇ ὁδῷ oppositum et ne per se quidem satis aptum omninoque fere ab scriptoribus recentioribus usurpatum esse ait, e Burgesii emendatione editores εὖ διδοίη receperunt. Et iure quidem. Nam Polynices qui iam post v. 1413 discessurus

ab Antigona retentus denuo oratus est, ut exercitum Argos reducat, verba respicit, quae vv. 1407 sqq. sororibus dixit

> μή τοί με πρὸς θεῶν σφώ γ', ἐὰν αἱ τοῦδ' ἀραὶ
> πατρὸς τελῶνται, καί τις ὑμὶν ἐς δόμους
> νόστος γένηται, μή μ' ἀτιμάσητέ γε,
> ἀλλ' ἐν τάφοισιν θέσθε κἀν κτερίσμασιν.
> καὶ σφῷν ὁ νῦν ἔπαινος, ὃν κομίζετον
> τοῦδ' ἀνδρὸς οἷς πονεῖτον, οὐκ ἐλάσσονα
> ἔτ' ἄλλον οἴσει τῆς ἐμῆς ὑπουργίας.

Ad hos igitur versus referenda sunt versus 1435 verba et explicanda, ut verbo εὖ διδόναι breviter repetantur, quae dicta sunt versibus 1407—1410, et pronomine τάδε referatur ad ea, quae vv. 1411 sqq. continentur. Offendit autem in sequentibus eadem sententia versibus 1436 et 1438 bis expressa nulla huius iterationis causa oblata. Atque sunt qui priorem versum delendum censeant, quum non solum dativi iota eliso in θανόντ', sed etiam versus sententia maxime offenderint. At hoc versu deleto versus, qui praemissus est, intellegi nequit, quo iusto brevius illi versus 1407 sqq. respiciuntur. Quin etiam Hermann servato versu, quod interea de aliis rebus sermo fuisset, ut ne ἐκεῖνα quidem conveniens esset vocabulum, pronomen τάδε ad illa priora Polynicis discessuri verba recte referri negavit, tale quid post τάδ' εἰ τελεῖτέ μοι excidisse ratus

> τιμῆς με πρὸς σφῷν τῆς προσηκούσης τυχεῖν
> (θανόντα v. sq.).

Sed res ominosae quum semel dicta sunt, pronomine τάδε satis perspicue demonstrantur. Quum igitur ad sententiam Polynicis intellegendum v. 1436 necessario requiratur, versus aut defendendus aut emendandus, minime vero delendus atque explendus est. Atque primum quidem quod attinet ad illud dativi ι elisum, constat vocalem ι dativi singularis tertiae quae vocatur declinationis graecae ut eliderent poetis concessum fuisse, si dativum cum accusativo commutari structura aut sententia verborum vetabat. Quorum poetarum princeps Homerus duodecim, si Matthiaeo fidem habes, locis hoc admisit, quode disputarunt Spitzner de versu graec. heroico p. 172 et Il. excurs. VII, K. Lehrs, quaestion. epic. p. 47 sqq. Sed etiam poetae post Homerum, quamquam raro, hac elisione utebantur ut Pindarus, Olymp. 8, 52 (68) δειράδ' ἐποψόμενος, Olymp. 9, 112 (166) ἐν δαίθ' ὅς, Aeschylus in Persis v. 846 ὑπαντιάζειν παίδ' ἐμῷ πειράσομαι, in Supplicibus

v. 1000 *δόρ' ἀνημέρῳ θανών*, ipse Sophocles in Trachiniis v. 674 *ἀργῆτ' οἰὸς εὐέρου πόκῳ*, Euripides in Alcestide v. 1121 *Γοργόν' ὡς καρατόμῳ*, Lucianus a Schaefero comparatus *πεινῶντ' ἔοικε μαστίχην μασσωμένῳ*. Quin etiam Demosthenis prosae orationis scriptoris codex optimus Parisinus Σ tradit IX, 26: *ἅς*, sc. *τὰς πόλεις τὰς ἐπὶ Θρᾴκης*, *ἀπάσας οὕτως ὠμῶς ἀνῄρηκεν*. sc. Philippus, *ὥστε μηδ' εἰ πώποτ' ᾠκήθησαν προσελθόντ' εἶναι ῥᾴδιον εἰπεῖν*. Recte igitur Schneidewin *θανόντ'* arctissime cum *μοί* coniunctum habuit concessum. Plane vero Nauck, qui idem dativi iota nunquam a poetis Atticis elidi contendit, in adnot. ad h. v. sententiam rectam esse negat. Neque enim Polynicem postulare, ut sorores sibi vivo quicquam praestarent, neque ante mortem iustas exsequias petere posse neque omnino membrum *ἐπεὶ—ἕξετον* causam afferre enuntiationis primariae, quum per se intellegatur tantum mortuos mortuorum honoribus affici. Quibus tribus argumentis allatis patet sententiam, quae verbis traditis inest, impugnari. Nam si traditos dativos *μοὶ ζῶντι* teneas, infinitivo *τελεῖν* ad *ἕξετον* audito sententia efficitur: '*quoniam vivo mihi hoc facere rursus non poteritis*'. Quam ineptam esse quivis concedet. Sed pro dativis in Lb, apographo La, accusativi *μὲ ζῶντα* leguntur, nulla quidem certae traditionis auctoritate, sed eodem iure correcti, quo a recentioribus criticis corrupta verba corriguntur. Nam facillime fieri potuit ut praemissis dativis *μοὶ θανόντι* librarius loci sententia, ut saepe, non perspecta parallelos dativos *μοὶ ζῶντι* scripserit, sententia quae efficiebatur minime offensus, quippe qui de ea ne cogitaret quidem accuratius. Et libere profiteor me propter ea, quod versus desiderari non potest, hanc codicis minoris correctionem recipere malle, quam ut totum versum deleam incerta alia substituere coactus. Quam correctionem mutato *μέ* in *μή* Bothe etiam probabiliorem mihi reddidit. Causa enim quae verbis praecedentibus adiungitur nunc est: '*quoniam profecto vivum me rursus non habebitis*. Quae causa cur ab Polynice exsequias petenti non afferri debeat, non assequor. Fratris vel cuiusvis hominis naturae conveniens est, quum aeternum valere dicit necessarios, petere ut quem vivum non revideant, eum mortuum sepeliant. Accedit quod alteruter versus 1436 aut 1438 delendus est, quum plane unum idemque exprimant, deleto versu illo sententia non integra est, servato hoc versu inepta. Nam hoc versu Polynices ideo valere iubet sorores, quod eum vivum non sint revisurae. Ergo quum alterutrum membrum abundet atque prius

et sententia aptum et a Bothio e legibus grammaticis correctum sit, expungendum videtur *οὐ γάρ μ' ἔτι ἐσόψεσθ' αὖθις* glossema et interpretamentum versus 1436 atque ut *μέθεσθε δ' ἤδη* et quae sequuntur trimetrum efficiant iustum cum Antigonae eiulatu *χαίρετόν τ'* curtandum in *χαίρετ'*.

vv. 1457 sq. Tonitribus primis auditis Oedipus filias suas appellat ut illico mittant, qui Theseum arcessat,

ὦ τέκνα, τέκνα, πῶς ἄν, εἴ τις ἔντοπος,
τὸν πάντ' ἄριστον δεῦρο Θησέα πόροι;

In his vêrba *εἴ τις ἔντοπος* explicantur *εἴ τις ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ ἐστίν*, coll. Phil. v. 212 *οὐκ ἕξεδρος, ἀλλ' ἔντοπος ἀνήρ.* Neque hac adiectivi *ἔντοπος* significatione offenderim, sed sententia, quae hoc membro conditionali exprimitur. Quid? Oedipus toto choro praesente dixerit, si quis adsit, Theseum arcessat? Neque vv. 1475 sq. tam inepte loquitur et vv. 1491 sqq. ab ipso choro Theseus vocatur et ab ara Neptuni approperare iubetur. Conicio ergo litteras *ЄI* ex litteris *OYN* corruptas esse, scribendumque *πῶς ἂν οὖν τις ἔντοπος* etc.

vv. 1534 sqq.

σπαρτῶν ἀπ' ἀνδρῶν· αἱ δὲ μυρίαι πόλεις,
κἂν εὖ τις οἰκῇ, ῥᾳδίως καθύβρισαν.
θεοὶ γὰρ εὖ μέν, ὀψὲ δ' εἰσορῶσ', ὅταν
τὰ θεῖ' ἀφεὶς τις ἐς τὸ μαίνεσθαι τραπῇ.
ὃ μὴ σύ, τέκνον Αἰγέως, βούλου παθεῖν.
τὰ μὲν τοιαῦτ' οὖν εἰδότ' ἐκδιδάσκομεν.

Hi versus quid sibi velint in sententiarum serie non assequor. Nam Oedipus a Theseo appellatus ut edicat quae fieri velit, postquam nullo duce locum quo mori sibi destinatum sit, quemque nefas ulli homini patefieri, quum multorum militum vice terram Atticam ab hostibus defendat, se esse reperturum docuit versibus 1518—1525, sic pergit: '*quod autem nefas dictu est ipse me illuc comitatus, quum nemini civi ne liberis quidem carissimis aperiam, solus cognosces. Tu vero hoc semper serves et moriturus demum filio detegas natu maximo, qui succedenti dicat. Ita hanc urbem habitabis incolumem et securam*', vv. 1526—33. Sequuntur versus, quos supra collocavimus, quibus nemodum interpretum non offensus est. Qui quantum possunt ad verbum latine redditi nihil fere aliud significare videntur quam: '*Sed plurimae civitates etsi bene administrantur facile per vim agunt. Dii enim iuste quidem, sed tarde puniunt eos qui contemptis divinis ad furorem vertuntur; quod*

tu facere noli, talia autem scientem edocuimus'. Quae quum non quadrare appareat, Hermann et alii de civibus Atticis dicta esse statuerunt, qui ne Athenarum salus periclitaretur de re secreta celandi fuissent. Vulgus enim ne impie in deos faciat metuendum esse. Quibus recte Schenkl in Philologi vol. XVII p. 241 sq. opposuit, primum *τὰς πόλεις* non significare *τοὺς δήμους* vel *τοὺς πολλούς*, deinde *καθυβρίζειν* non de peccatis in deos commissis dictum fuisse, sed de sceleribus hominum, tum *αἱ μυρίαι πόλεις* non idem esse atque *μυρίαι πόλεις*. Neque ullus mihi videtur esse conexus sententiarum, quae versibus 1534 sq. et quae vv. 1536 sq. continentur. Nam ne quaeram, qua ratione civitates per vim agentes ab Oedipo appellari possint bene administratae, inconcinnum est dicere, civitates facile per vim agere, quod tarde tantum dii poenas exigant, si qua peccaverit in eos. Si dii tarde quidem, sed iuste puniunt impios, pleraeque civitates aut eos metuentes peccare nolint aut quum peccaverint, intereunt. Multo magis igitur pro *καθύβρισαν* exspectatur *κατώλοντο* vel simile. Quam vero languide atque inepte continuantur: 'tale quid, tu Aegei fili, noli admittere; haec quidem scientem edocuimus'. Tum *σπαρτῶν ἀπ' ἀνδρῶν* soloece dictum est pro *σπ. ὑπ' ἀ.* et additamentum versus 1433. Quid? Oedipus a solis Thebanis Athenienses se defensurum promiserit? Imo vero ab omnibus semper hostibus, quicunque impetus faciant, ut vere incolumis sit eorum civitas. Ita enim ipse declaravit vv. 1524 sqq.

> *ὥς σοι πρὸ πολλῶν ἀσπίδων ἀλκὴν ὅδε*
> *δορός τ' ἐπακτοῦ γειτονῶν ἀεὶ τιθῇ,*

et Theseus vv. 1764 sq.

> *καὶ ταῦτά μ' ἔφη πράσσοντα καλῶς*
> *χώραν ἕξειν αἰὲν ἄλυπον.*

Denique quo modo *μέν* v. 1539 refertur ad v. sq.?

Neque vero hae tot corruptelae coniecturis emendari possunt. Nam emendato *ὑπ'* pro *ἀπ'* restant reliquae et emendatis reliquis restant sententiae non inter se conexae. Delendos igitur censeo vv. 1534—38 ab histrionibus temere consutos et sententiarum inter se conexum atque progressum perturbantes, v. 1539 unius litterulae correctione sic sanandum:

> *τὰ μὲν τοιαῦτ' οὖν εἰδότες διδάσκομεν.*

Tum demum huius versus *μέν* recte respondet versus sequentis *δέ* et versuum sententia absoluta atque perfecta est ut versuum 1760 sqq.

vv. 1560 sq. Chorus Oedipo digresso precatur, ut Dis eum benigne excipiat,

λίσσομαι μήτ' ἐπιπόνῳ μήτ' ἐπιβαρυαχεῖ —.

Totius carminis metrum est iambicum logaoedicum verbaque antistrophae quae respondent haec sunt:

ἐξ ἄντρων ἀδάματον φύλακα παρ' Ἀιδᾳ.

Requiruntur igitur pedes ut ita dicam molossus, duo cretici, spondeus. Praetermissis ergo aliorum coniecturis, quarum nulla obtinuit, conicio alterum ἐπι — dittographiam quem vocant esse et quum scholiasta Laurent. in libro suo legerit δίδου μοι, hoc fuisse interpretamentum eius quod poeta scripserit δός μοι. Aoristus enim chori sententiae magis convenit quam praesens. Itaquc versus est legendus

δός μοι μήτ' ἐπιπόνῳ μήτε βαρυαχεῖ —

quae iam antistrophae verbis respondent.

Antig. v. 24. Antigona Ismenae sorori narrat, quae de Eteocle et Polynice fratribus mortuis Creon constituerit,

Ἐτεοκλέα μέν, ὡς λέγουσι, σὺν δίκῃ
χρησθεὶς δικαίᾳ καὶ νόμῳ κατὰ χθονὸς
ἔκρυψε τοῖς ἔνερθεν ἔντιμον νεκροῖς.

Quibus in versibus ut sententia quae flagitatur est dilucida, ita offendit formula σὺν δίκῃ χρησθεὶς δικαίᾳ et praepositione σὺν cum passivo genere coniuncta pro solo dativo et verbi forma passiva χρησθείς et attributione δικαία substantivi δίκη. Atque formulam vetustam esse iamque inde ab antiquis temporibus libris manu scriptis traditam esse scholiastae Laurent. verbis interpretantis: δικαίᾳ κρίσει χρησάμενος i. e. *iusto iudicio usus* probatur. Atqui fieri nullo modo potest, ut χρησθείς participium aoristi passivi activa vel media vi hic positum habeatur. Nullum enim aliud huius aoristi pro medio exemplum in graecitate legitur praeter unum, quod vulgo citant Polybii συγχρησθῆναι, II, 32, 7. Quo loco optimorum codicum quae traditur lectio est συγχρῆσθαι. Iam igitur Triclinius grammaticus ille Byzantinus χρησθείς a χράω derivatum per παραγγελθείς i. e. rogatus explicavit, cuius sententiam Hermann secutus scribendum esse χρῃσθείς cum iota subscripto, formam verbi χρῄζω, censuit. Nominis autem δίκη attributionem δικαία Boeckh doctissimus ille, qui vertit et interpretatus est hanc fabulam, cum in Antigona sua anni 1843 p. 217, tum in encyclop. et method. litterar. philolog. p. 110 tautologiam esse negat, quod Antigona his verbis recte queratur hominum

legem tanquam iustum ius a Creonte opponi iuri illi divino, quo ipsa nitatur. Accepta igitur Hermanni lenissima mutatione χρησθείς, Triclinii interpretatione verborum, Boeckhii defensione sententia fit: '*Eteoclem Creon sepelivit iusto cum iure et lege ab eo rogatus*' sc. ut iusta funebria curarentur, si pugnans cecidisset. Quibus nolim opponere et latine iusto cum iure et iusta cum lege et graece σὺν δίκῃ δικαίᾳ καὶ νόμῳ δικαίῳ dicenda fuisse, cum verba per figuram quae vocatur ἀπὸ κοινοῦ defendi possint. Sed multo magis sententia quae efficitur offendor. Quid enim ineptius est, quam hoc priore periodi membro concedi Eteoclem iusto cum iure a Creonte petisse, ut eum sepeliret. Numquid id refert in hac sententiarum serie? Imo vero Creon iusto cum iure mortuum sepelisse dicendus est. Itaque de versu emendando desperantes Wunder et alii delendum statuerunt; id quod tum demum statui debet, cum versus re vera emendari aut explicari nequit. Ut autem aliorum coniecturas praeteream, χρησθείς illud, quo praeter paucos nemo doctus non offendebat, ex χρήσει corruptum esse coniecit N. Madvig, clarissimus ille criticus Havniensis. Quo nihil artis palaeographicae legibus factu est facilius. Litteras enim θ et σ ex dittographia ortas esse litterarum σε facile cognoveris, cum utramque vocem litteris quas vocant uncialibus exaratam animo tibi fingas, *XPHCΘЄIC*, *XPHCЄI*. Plane igitur assentior Madvigio χρήσει pro χρησθείς emendanti, conicienti τύχης pro δίκῃ idem plane dissentio. Neque enim iuste fortuna uti Creon nisi ironice ab Antigona dici potuit et τύχης num in δίκῃ corruptum esse veri simile sit, vehementer dubito. Multo facilius δίκῃ ex genetivo δίκης oriri potuit. Quae mutatio litterarum C et *I* adscripti, quam frequens sit in veteribus libris manu scriptis, notum est criticis. Itaque habemus formulam

σὺν δίκης ‖ χρήσει δικαίᾳ καὶ νόμῳ

et sententiam: '*cum iusto iuris usu et lege*'.

Quae verba σ. δ. χρ. δ. nihil aliud nisi gravem atque nervosam vocis δίκῃ circumlocutionem, totam formulam eandem esse atque δίκῃ καὶ νόμῳ, '*iure et lege*' apparet. Qua de cf. Lobeckii paralip. p. 535 not. Ironia plane abest; nam Antigona Creontem recte facere, quod Eteoclem sepeliverit, diserte comprobat, negat recte vetuisse ne Polynices sepeliatur. Tota igitur horum et sequentium versuum sententia est: '*Eteoclem a Creonte iure et lege sepultum esse dicunt, ut sit inferis rite sepultus, verum miseri Poly-*

nicis corpus edixisse eum civibus ne sepeliant neve defleant'. Quae de sua sententia a Creonte enuntiantur vv. 194sqq.

v. 138.

εἶχε δ' ἄλλαι τὰ (μέν) ἄλλα τὰ δ' ἐπ' ἄλλοις etc.

In hoc emendando versu multi et ii doctissimi operam me quidem iudice nequidquam posuerunt propter quod corruptione non perspecta, ut violentius quae tradita sunt mutarent, a se impetrare non potuerunt, sed satis habuerunt deleto altero *τά* versum sic constituere:

εἶχε δ' ἄλλᾳ τὰ μέν, ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλοις —.

Atque ut sententiarum seriem exponam, chorus laetus victoria, quam Thebani ab Argivis reportaverant, scenam ingressus oppugnationem urbis enarrat vv. 105sqq., pergit Capaneum insano furore debacchantem et infestissimorum ventorum impetu incurrentem repercussum esse ictu fulminis igniferumque illum in terram reiectum. Quid tum ad hanc Capaneae sortis enarrationem concludendam aptius, quid concinnius quam pergi: *haecce quidem ita se habuerunt* i. e. sic ut enarravit chorus v. 134

ἀντιτύπᾳ δ' ἐπὶ γᾷ πέσε ταντalωθείς.

Neque quisquam hoc sensu quem Boeckh, Dindorf, Schneidewin statuerunt offendebat, quamquam Furtwaengler in Philologi vol. XV p. 701 hunc e verbis traditis elici posse iure negavit.

Itaque propono

εἶχε δ' οὕτω τάδε μέν, ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλοις —.

Quibus receptis neque iam metrum est laesum, cf. v. antistr., et quas litteras La habet erasas, hae quam probabilissime erutae sunt. Adnotat enim Dindorf ad h. v.: '*μέν* a manu ant. pro littera eluta, cui duae aliae superscriptae fuerunt'. Sed G. Wolff, qui et ipse librum manu scriptum post H. Duebnerum denuo contulit: 'La nach *εἶχε δ' ἄλλαι τά* urspruenglich *δ* mit fast bis zur Zeile gehendem rechtem Grundstriche'. Qui vero quod ex hac nota *διός* eruit, vehementer falli mihi videtur. Multo enim facilius notam ex *δέ* ortam esse concedes. Atque hanc particulam in membranis illa nota scriptam fuisse quivis codices vel eorum imagines typis exscriptas intuitus cognovit. Tum lineolas, quas *δ* superscriptas esse referunt, pro accentu et apostropho habendae sunt. Sic enim El. v. 914 *εἴ* scriptum fuit, quo eraso accentus supersunt, cf. Dind. edit. Oxon. III. Librarius enim postquam *δέ* scripsit, vocalem *ε* in *δέ* propter *ἄλλα,* quod continuo ei adiunxerat, elidendum esse vidit in corrigendo libro manu scripto, tamen

eradere non ausus est, quod in archetypo δέ plene exscriptum invenerat, itaque apostrophum appinxit. *Μέν* a manu ant. insertum non habes quod cum Nauckio eicias. Nam manus antiquae libri La syllabas aut voculas omissas, sed necessarias et quae facile ac certo suppleri possent addiderunt, cf. Dindorf in edit. Oxon. III ad OR. vv. 166. 252. 349. 1171. 1330. Ant. v. 507. Ai. v. 726. El. v. 1262.

Principio igitur scriptum fuerat in La

εἶχε δ᾽ ἄλλαι τὰ δέ ἄλλα τὰ δ᾽ ἐπ᾽ ἄλλοις —

Manus antiqua prius δέ erasit, quod in duplici τὰ δέ offendit et μέν inseruit, ut τὰ μέν responderet τὰ δέ. At nos posterius τὰ cum Erfurdtio et eum qui secuti sunt delemus, ut τάδε μέν respondeat ἄλλα δέ.

Quibus expositis apparet, spero, librarium qui La exaravit hoc loco, ubi scriptum in archetypo esset ЄΙΧЄΔΟΥΤѠΤΑΔЄΜЄΝ, aberrasse ad ea quae sequerentur ΑΛΛΑ et ΑΛΛΟΙϹ, quod quam facile fieri potuerit et quam saepe factum sit ab illo, codice ipso La multis locis probatur. Quod eo probabilius est, quod a prima manu non ἄλλαι sed ἄλλα scriptum exstare Cobet refert. Atque hoc ex Triclinii quoque adnotatione efficitur: οὕτως οὖν χρὴ γράφειν ἄλλῃ —, invenerat igitur in codice ἄλλα. Sed quod pergit ὡς καὶ ἔν τινι τῶν παλαιῶν βιβλίων εὕρηται, non maior fides ei est tribuenda quam ut alia omittam in Ant. v. 887, ubi ἀφεῖτε scribendum putavit adseverans se in vetusto libro id repperisse adnotans ἀφεῖτε χρὴ γράφειν — ὡς καὶ ἔν τινι τῶν παλαιῶν εὕρηται βιβλίων.

Formula autem οὕτως ἔχει eadem vi, qua hoc loco, usus est Sophocles in Antig. v. 37 οὕτως ἔχει σοι ταῦτα —, El. v. 938, fragm. 715. Si quis vero obiciat οὕτως et τάδε uno in versu coniuncta et ambo ad ea quae praecedunt spectantia aliquid offensionis habere, quum οὗτος ad ea quae praecedunt, ὅδε ad ea quae sequuntur referri soleant; poeta non solum una in periodo οὗτος et ὅδε ad eadem relata posuit, ut Ant. vv. 296 sqq. et 673 sq., sed etiam uno in membro ταῦτα et ὧδε ad ea quae praecedunt spectantia copulavit, El. v. 315

εἴπερ ᾧδε ταῦτ᾽ ἔχει et Ai. v. 378.

Ut igitur ταῦτα ὧδε ἔχει componi licuit, opinor τάδε οὕτως ἔχει quo minus scriberet, nihil poetam impedivit praesertim quum Homerus οὕτως et τάδε formula nostrae simillima copulaverit Il. XXIV v. 373

οὕτω πῃ τάδε γ' ἐστί, φίλον τέκος, ὡς ἀγορεύεις,

et Aeschylus locutus sit in Pers. v. 170 *ὡς οὕτως ἐχόντων τῶνδε.*

De pronominum *οὗτος* et *ὅδε* vi ac discrimine cf. Kuehner gr. gr. vol. II, pp. 555 sq.

Quibus emendatis atque explicatis restat ut *μέν* defendamus, quod extremo membro positum esse Nauck et alii aegre ferunt. Quae particula adversativa ei voci postponenda est, quae opponitur voci particula *δέ* definitae. Quum hoc in versu *τάδε* et *ἄλλα δέ* inter se respondeant, patet *μέν* nulli alii voci adiungi posse quam *τάδε*. *Τάδε* autem in hoc membro adverbio *οὕτω* postponendum erat, quia hoc cum accentu quodam dictum est atque dicendum erat, cf. quas supra attuli eiusdem significationis formulas.

Neque Seyfferto, ea cum ita sint, *ταύτῃ* legendum esse affirmanti concesserim. Recte quidem, si *εἶχεν* hoc loco idem esset atque evenit, *ταύτῃ* positum esset. Sed verba *εἶχε ταύτῃ* *ea ratione evenit* nihil aliud sunt nisi languida eorum, quae in vv. praeced. exposita erant, repetitio, *εἶχεν οὕτω* vero *haecce ita se habuerunt*, aptissime concludunt hanc carminis partem. Similiter nuntius in Aeschyli Sept. c. Theb. vv. 792 sqq. choro nuntians Argivos repulsos esse, vv. 799 sqq. quae nuntiavit concludit

καλῶς ἔχει τὰ πλεῖστ' ἐν ἓξ πυλώμασιν.

Hanc formulam usu esse receptam in tali orationis structura docet etiam Demosthenes in Olynth. II, 9: *καὶ μὴν εἴ τις ὑμῶν ταῦτα μὲν οὕτως ἔχειν ἡγεῖται* —.

Quae si recte disputata sunt, non opus est legi ex Erfurdtii coniectura *εἶχε δ' ἄλλᾳ τὰ μέν*, quod idem esse atque ea quae continuo sequuntur *ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλοις* etc. dixit Hermann, neque habere quod opponatur Ellendt, aut Hermanni *εἶχε δ' ἄλλα μὲν ἄλλα,* quod insolentius dictum esse ipse concessit, aut denique ut alia omittam Iovem cogi ut denuo interveniat, ut factum est a Seyfferto, Wolffio, Hartungio, quem item *τάδε* coniecisse video.

v. 467. Antigona interrogata a Creonte, cur ausa sit leges suas migrare, respondet neque ab Iove neque ab Iustitia inferorum hasce leges latas esse neque se putasse Creontis iussa tantum valere, quantum deorum iura non scripta. Quibus se poenas dare noluisse hominum metu exterritam. Morituram enim se scire, quod priusne an postea fieret, nihil referre. Quicunque

autem multis malis affectus sit, ab eo mortem pro commodo haberi. Itaque quod huius supplicii particeps fieret, se nihil dolere. Pergit:

> *ἀλλ' ἂν εἰ τὸν ἐξ ἐμῆς*
> *μητρὸς θανόντ' ἄθαπτον ἠνσχόμην νέκυν,*
> *κείνοις ἂν ἤλγουν.*

Atque primum quidem Meineke et Seyffert possessivo *ἐμῆς* offensi alter *μιᾶς*, alter *ὁμῆς* coniecerunt. At ut alia praetermittam quae opponi possunt, cur ab Antigona dici non potuit: meae matris filium eodem sensu, quo unius vel eiusdem matris filium, cum his formulis tribus aeque frater germanus designetur? Tum La *ἠισχόμην* ferri non potest, cuius loco Eustathius ad Il. V, p. 529, 18 *ἐσχόμην* et p. 401, 52 *ἠσχόμην* refert, quas duas formas quin more grammaticorum illorum graecorum memoriter citaverit dubitari non potest. In Parisino autem, quem R. Schneider alterum Sophocleae traditionis auctorem esse statuit, *ἠνσχόμην* legitur, cui lectioni Laurentiani *ἠισχόμην* vel maxime convenit. Eius enim I ex N decurtatum esse facile intellegas. Quam formam schol. Laur. explicat *ἠνεσχόμην, ὑπερεῖδον.* Forma autem *ἠνσχόμην* plerique critici repudiata aut *ἐσχόμην* aut pluribus mutatis *ἀνεσχόμην* vel *ἠνεσχόμην* receperunt. Quod haudquaquam probaverim. Nam si dixeris male sonare *ἠνσχόμην*, inveneris *ἄνσχεο* Il. XXIII, v. 587, *ἀνσχήσομαι* V, v. 104, *ἀνσχεθέειν* Od. V, v. 320, ut mihi concedes oporteat, quod Homero licuerit, idem licuisse Sophocli. Augmentum vero alterum a poeta omitti potuisse quis est qui neget? Sola enim haec est removendi causa, quod uno hoc loco forma invenitur. Quae causa nobis tam multis scriptorum antiquorum monumentis deperditis nulla est. Quodsi enim omnes nominum vel verborum formas singulares removere atque usitatioribus et communibus mutare vellemus, quanta exstaret mutationum copia, a nullo homine critico, qui quidem sit prudens atque circumspectus, probata! Ita ne formam *ἐμέν* quidem El. v. 21 verbi *εἶναι* pro *ἐσμέν*, quae nullis legibus grammaticis firmata, immo vero falso ficta est, Curtius verb. graec. I p. 147 sq. mutatam voluit. Rectissime quidem ille.

Reliquum est igitur ut tertium vocabulum quod offendit *θανόντα* aut defendamus aut emendemus. Quod si est sanum, nulla cum alia voce coniungi debet nisi cum *νέκυν*. Et sana quidem sententia. Nam inde ab Homero usque ad Euripidem

νεκροί sive *νέκυες τεθνηῶτες, κατατεθνηῶτες, κτάμενοι, καταφθίμενοι, θανόντες* cf. Il. VI v. 71, XVIII v. 540, Od. XI v. 37, v. 491, Eur. Hel. v. 178, Suppl. v. 45, v. 558, v. 975, Tro. v. 91, Phoen. v. 1295, et plurali et singulari numero appellabantur, id quod iam veteres velut Eustathius p. 1074, 23 adnotarunt. Et ipse Sophocles Ant. v. 26

τὸν δ' ἀθλίως θανόντα Πολυνείκους νέκυν,

eiusd. fab. v. 515 *ὁ κατθανὼν νέκυς* composuit. Verum fieri non potest, quin continuis versus numeris *θανόντα* non cum *νέκυν* quo pertinet, sed cum proxime praecedenti *μητρός* coniungatur, quod ferri nequit. Nam *ὁ ἐξ ἐμῆς μητρός θανών* est is qui a matre mea vel iussu matris meae occisus est, non frater mortuus. Neque ne hoc intellegeretur, histrio pronuntiando cavere potuit, quippe qui metri necessitate coactus esset verba *μητρὸς θανόντ'* coniungere. Emendandum igitur est participium, quod aut est interpretamentum nominis *νέκυν* aut, quod multo magis statuerim, cum *νέκυς* vocabulum fuerit notissimum, ex alio verbo corruptum. Atque plerique critici loco *θανόντ'* substituerunt *πατρός τ'*, quod in solo matris nomine offensi patrem hic desiderari moleste ferebant. Cum enim moris fuisse Graecorum, ut germanitatis notio exprimeretur, patrem et matrem in tali verborum compositione nominari, tum Polynicem fratrem germanum e matre atque e patre ab ipsa Antigona v. 513 et a choro vv. 144 sq. dictum esse aiunt. E quibus colligunt hoc quoque loco ita poetae loquendum fuisse. At non opus est matri patrem addi, ut germanitatis notio exprimatur. Nam Briseis Patroclum mortuum plangens tres fratres mortem pro moenibus occubuisse dicit, quos ut germanos esse denotet, addit *τούς μοι μία γείνατο μήτηρ*, Il. XIX, v. 293. Et Apollo quum durum Achillis animum reprehendit Il. XXIV vv. 46 sq. ait

μέλλει μέν πού τις καὶ φίλτερον ἄλλον ὀλέσσαι,
ἠὲ κασίγνητον ὁμογάστριον ἠὲ καὶ υἱόν.

Neque alia sententia dicuntur *ἀδελφὸς ὁμομήτριος* Herod. VI, 38, *ἀδελφὴ ὁμομητρία*, Aristoph. Nub. v. 1372, Xenoph. Anab. III, 1, 17 verbis vetustis *τοῦ ὁμομητρίου ἀδελφοῦ* addita *καὶ τοῦ ὁμοπατρίου* deleverunt editores, ut quae plane abundarent. Cf. usus adiectivorum *ὁμόσπλαγχνος, ὁμονήδυιος, ὁμογάστριος*. Ipsa vocabula *αὐτοκασίγνητος, κασίγνητος* et *αὐτάδελφος, ἀδελφός* a substantivis uterum sonantibus derivanda sunt, ut plane respondeant Latinorum adi. uterino.

quanto graviora verba nihil aliud significantia inutiliter illata sint. Seyffert autem *δύστηνον λέχος* de infelici sponsa interpretatus *εὐνήν* sepulturam, quam Haemo erat amissurus, significare contendit: 'nam sperare, inquit, debebat fore ut et Antigona et ipse in spelunca insepulte iacerent'. Sed qua re Haemo hoc sperare debuerit, non dixit v. d. Et mirandum est Haemonem primo 'placidam requietis sedem amissam queri', deinde patris facta, tum demum sponsam infelicem, quam amplectebatur mortuam. Nonne est iuvenis amantissimi, ut cum sponsa mori malit, quam cum patre vivere, praeter cetera sponsam amissam vel potius interemptam (*φθοράν*) lugere? Relinquitur igitur ut verba priora de coniuge interempta et iam apud inferos agente interpretemur. Tum vero *δύστηνον λέχος* nihil nisi iteratio est verborum *εὐνῆς τῆς κάτω φθοράν*. Nam quod Wolff *λέχος* per matrimonium explicat, ferri non potest propter ea, quod matrimonio nondum iunctus fuerat cum Antigona Haemo et offensionem habent patris facta inter coniugem et matrimonium interposita. Quid autem aptius, quid aut conditioni aut animo Haemonis convenientius dici potest quam: '*coniugem interemptam, patris facta,* s o r t e m *suam infelicem deplorantem*'? Pro *λέχος* igitur *λ ά χ ο ς* restituo vocem a Sophocle aut ab Euripide non usitatam, quam tamen G. Hermann et Dindorf versui 1303 hui. fab. pro *λέχος* inserere non dubitaverunt. Et invenitur hac vi Aesch. Eum. v. 310

λέξαι τε λάχη τὰ κατ᾽ ἀνθρώπους

et eiusd. fab. vv. 334 sq.

τοῦτο γὰρ λάχος διανταία
Μοῖρ᾽ ἐπέκλωσεν ἐμπέδως ἔχειν.

Theogn. vv. 592 sq.

τολμᾶν χρή, τὰ διδοῦσι θεοὶ θνητοῖσι βροτοῖσιν,
ῥηιδίως δὲ φέρειν ἀμφοτέρων τὸ λάχος etc.

v. 1281. Creon, qui filium mortuum amplexus magnis cum miserationibus scenam ingreditur, per nuntium certior fit, domi suae alia mala se visurum. Perterritus rogat

τί δ᾽ ἔστιν αὖ κάκιον ἢ κακῶν ἔτι;

Quam interrogationem, quandoquidem *ἤ* comparativum cum genetivo comparationis componi nequit et alterutrum sufficit, Boeckh in duas partes dividit, quarum posteriorem sic interpretatur: '*aut quid malorum reliquum est?*' Sed Schneidewin collatis Aesch. Agam. v. 864, Eur. Hec. v. 233, Tro. v. 720 formulam *κάκιον*

κακῶν Graecis hominibus in proverbii consuetudinem venisse monet, quo efficitur ut comparativus *κάκιον* a genetivo *κακῶν* dirimi non debeat. Qua Schneidewini adnotatione etiam, quam plerique receperunt, Canteri coniectura *ἐκ* refellitur. Audacior igitur Pflugk voculas *αὖ* et *ἢ* permutavit, ita ut duae interrogatiunculae fierent:

τί δ' ἔστιν; ἢ κάκιον αὖ κακῶν ἔτι;

Qua permutatione quamquam fatendum est aptiorem sententiam fieri quam ceteris, tamen duo unius interrogationis membra nescio quid mihi offensionis habent. Postquam enim e nuntio audivit Creon praeter mala, quae in manibus teneat, alia se domi manere, quid hominis iam miseri animo convenientius quam cum festinatione quadam quaerere: '*quid est tandem* (igitur) *malis iam peius iterum?*' Quae sententia inest versui

τί δ' ἔστι δὴ κάκιον αὖ κακῶν ἔτι;

vv. 1339 sqq. Creon duobus propinquis, coniuge et filio, mortuis gravissime afflictus miseratur:

ἄγοιτ' ἂν μάταιον ἄνδρ' ἐκποδών,
ὅς, ὦ παῖ, σέ τ' οὐχ ἑκὼν ἔκτανον
σέ τ' αὖ τάνδ', ὤμοι μέλεος, οὐδ' ἔχω
† *ὅπᾳ πρὸς πότερον ἴδω, πᾷ καὶ θῶ· πάντα γὰρ*
λέχρια τἀν χεροῖν, τὰ δ' ἐπὶ κρατί μοι
πότμος δυσκόμιστος εἰσήλατο.

Versus 1342 cruce notatus metro repugnat, quod dochmiis constare demonstratur versu strophico 1320

ἐγώ, φάμ' ἔτυμον, ἰὼ πρόσπολοι.

Tres igitur emendandi vias ingressi sunt vv. dd. Quorum alii *πάντα γάρ*, alii *πᾷ καὶ θῶ* delendum, alii deleto *ἴδω* scribendum censuerunt *ὅπᾳ πρός πότερον κλιθῶ* etc. Respiciamus igitur, quae sit veri simillima emendandi ratio. Atque primum verba *τἀν χεροῖν* quum sint opposita verbis *τὰ δ' ἐπὶ κρατί μοι*, non significare videntur praesentia, sed proprie ea quae in Creontis manibus sunt i. e. filium mortuum, quem amplexus est, et mulierem, quae mortua in lecto iacet ante oculos eius. Tum autem *πάντα γάρ* ab aliquo additum est, qui sententiam non recte intellexit. Expunctis igitur *πάντα γάρ* sententia efficitur: '*inclinata sunt quae manibus teneo et in caput meum intolerandum irruit fatum*'. Quae si recte explicata sunt, duo dochmii relinquuntur

ὅπᾳ πρὸς πότερον ἴδω, πᾷ καὶ θῶ.

Verum posterius membrum πᾷ καὶ θῶ neque sententia neque usu particulae καί ferri potest. Tum adiectivum, quod proxime sequitur, λέχρια verbum postulat significans applicare, inclinare se in aliquem. Itaque Musgrave paene nulla mutatione κλιθῶ pro καὶ θῶ restituit fere omnibus vv. dd. probatum. Quo recepto sententia fit: '*quo applicem* i. e. in quem me inclinem, *cum inclinata iaceant quae in manibus teneo et intolerando fato afflictus sim*'. Restant igitur emendanda

ὅπᾳ πρὸς πότερον ἴδω,

in quibus verbis aut ὅπᾳ aut πρὸς πότερον abundant neque sententia posteriori membro πᾷ κλιθῶ respondet. Non enim dicendum est a Creonte, utrum mortuum videat, sed quo se vertat, simil. Tale quid hominibus infelicibus ac miseris quasi natura insitum esse et per se intellegitur et veterum scriptorum loci ostendunt. Cic. de orat. III c. 56 § 214 e Tib. Gracchi concione aliqua fratre interempto habita afferuntur: 'quo me miser conferam, quo vertam? Apud Euripidem Medea a Theseo destituta queritur v. 502 νῦν ποῖ τράπωμαι; Quam sententiam ad verbum latine redditam Cicero ibid. c. 58 § 217 ex Ennii Medea affert: 'quo nunc me vortam?' Sallustius in Iugurtha c. 14 § 17 Adherbalem in senatu Romano loquentem facit: 'quo accedam aut quos appellem?' Alios Ennii versus in Cic. Tusc. III c. 19 § 44 citati sunt, ubi Andromacha Hectoreae opis egens miseratur: 'quo accidam, quo applicem?' Quum autem ὅπᾳ sequenti πᾷ optime respondeat, statuendum est πρὸς πότερον interpretamentum esse ineptissimum atque maxime supervacaneum ad ὅπᾳ, quod universe dictum falso ad mortuos referebatur. Quae cum ita sint, interpretamentum delendum, ἴδω corruptum emendandum, aliud verbum aptius restituendum est. Quod προςπέσω fuisse atque ἴδω corruptum esse ex ἰώ conicio. Recepto enim voculae ὅπᾳ interpretamento et remoto verbo antiquo, quum praedicatio prioris interrogatiunculae desideraretur, ἰώ mutatum est in ἴδω. Quod eo facilius fieri potuit, quod iam κλιθῶ in καὶ θῶ corruptum erat, itaque antiqua poetae sententia iam plane evanuerat. Quicunque mutavit, operam dabat ut aliquem certe quemcunque sensum verbis redderet. Iam sententiam Creontis condicione dignam restituisse mihi videor:

οὐδ' ἔχω,
ὅπᾳ προσπέσω· ἰὼ πᾷ κλιθῶ;

'nescio quo accidam, vae quo applicem? inclinata iacent, quae manibus teneo, et intolerando afflictus sum fato'. Ut enim Andromacha Enniana illa miserrima non iam quaerit quo se vertat, sed quo accidat, quo applicet, sic Creon pari fortuna usus eadem exclamat. Atque ut Ennius Medeae *νῦν ποῖ τράπωμαι* ad verbum transtulit, sic verba 'quo accidam, quo applicem' e graeco fonte ducta recepit. Quae e Sophocle sumpta esse non habeo quod negem. *ἰώ* autem respondet *ἰώ* versus strophici. Aptissime igitur illi poetarum mori in componendis canticis convenientissimum hic est positum neque offendit duobus membris interpositum. Nam praeter *ἰώ* vs. strophici cf. Ai. v. 394 *ἰὼ σκότος, ἐμὸν φάος, ἔρεβος ὦ φαεννότατον,* Ant. v. 1287 *τίνα θροεῖς λόγον; αἰαῖ ὀλωλότ' ἄνδρα,* Eurip. Phoen. v. 1288 *πότερον αἱμάξει, ἰώ μοι πόνων,* Rossbach et Westphal doctr. metr. graec. II p. 861. Hiatus in dochmiis octo temporum propter catalexim admittitur, cf. Brambachii stud. metr. ad Sophocl. p. 61. Ad *προσπέσω* aoristum verbi *προσπίτνειν*, quod est sollemne supplicandi verbum, cf. Trach. v. 904

βρυχᾶτο μὲν βωμοῖσι προσπίτνουσ'

OC. vv. 1156 sqq. *φασίν τιν' — ἄνδρα — προσπεσόντα πως*

βωμῷ καθῆσθαι τῷ Ποσειδῶνος —.

Κλίνω de corpore inclinando et *applicando* passive est dictum Ant. v. 1188 *ὑπτία δὲ κλίνομαι* et Trach. v. 1226.

Sententia similis est Hermiones in Andromacha fabula Euripidis vv. 859 sq.

τίνος ἀγάλματος ἱκέτις ὁρμαθῶ,
ἢ δούλα δούλας γούνασι προσπέσω;

Trach. vv. 55 sq. Ancilla Deianiram de diuturna Herculis absentia querentem monet, ut aliquem mittat ad maritum investigandum,

μάλιστα δ' ὅνπερ εἰκὸς Ὕλλον, εἰ πατρὸς
νέμοι τιν' ὤραν τοῦ καλῶς πράσσειν δοκεῖν.

Scholiastam secuti enarrantem: *ὁ δὲ νοῦς, ἵνα μάθῃς, εἰ φροντίζω ὑπὲρ τοῦ δοκεῖν καλῶς διαπράττεσθαι,* Matthiae, Hermann, Wunder, Dindorf interpretati sunt: *'si patris aliquam curam gerat, an ille rebus secundis uti videatur'.* Cui interpretationi recte opposuerunt Thielemann et Hartung, non agi de patris quae videatur, sed de vera eius salute. Heath igitur legi voluit *εἰ πατρὸς νέμειν — δοκεῖ.* Neque vero mitti par erat Hyllum, si patris curam gerere tantum videtur, sed si re vera curam gerit. Itaque Brunck

coniunxit *μάλιστα δὲ Ὕλλον, ὅνπερ εἰκός ἐστι δοκεῖν, εἰ νέμοι τιν' ὥραν τοῦ καλῶς πράσσειν τοῦ πατρός* i. e. *τῆς τοῦ πατρὸς εὐπραξίας*, vertit: '*maximeque Hyllum, quem par est ostendere, si quam paternae prosperitatis curam gerit*'. At *δοκεῖν* hac vi usurpatum nusquam reperitur. Et quoniam praemissa sunt *πῶς οὐ πέμπεις τινὰ παίδων* hisque continuantur *μάλιστα δ' ὅνπερ εἰκὸς Ὕλλον*, e legibus grammaticis ad *ὅνπερ εἰκός* intellegendum ac supplendum est *πέμπειν* quod praecedit, non sequentis versus extremum verbum *δοκεῖν*. Haec etiam in Schneidewinum et Meinekium cadunt *μολεῖν* conicientes eademque ratione qua Brunck verba componentes. Nihil igitur Nauck omisso *δοκεῖν* se desideraturum dixit. Quod vero coniecit *πεπραγέναι*, magis mihi ut versum expleret videtur spectavisse, quam ut restitueret id, quod poeta scribere potuisset. Ergo quum neque lectio vulgata defendi possit neque coniecturae vv, dd., quae quidem mihi occurrebant, satisfaciant, ipsi videamus, an locum corruptum sanare possimus. Atque miror formula *ὥραν νέμειν τινός* alicuius curam gerere, quae in tota graecitate hic solum invenitur, non offendisse interpretes. Quam non tuentur formulae *νέμειν τιμάς, χάριν, κακόν, αἰτίαν, αἵρεσιν* etc. Quibus constanter dativus eius personae additur, cui quid tribuitur, ita ut *νέμειν* suam retineat vim ac significationem tribuendi alicui aliquid. Neque aliter *μοῖραν νέμειν τινί* Trach. v. 1240 *tribuere alicui quod fas est, debita praestare* est usurpatum. Hic autem hoc verbum genetivo personae iunctum alienissima vi gerendi accipiendum est. Quod propter eius insitam vim fieri nequit. Nam quum *ὥραν νέμω τινός* dicis, dativus personae cui *τήν τινος ὥραν νέμεις* desideratur iureque id mihi rogare posse videor propriam verbi vim premens: 'cuinam alicuius curam i. e. eam curam, quam gerit aliquis sive quam geris de aliquo, tribuis? Quod longe aliud quid valere quam quod hoc loco requiritur patet. Nomen autem *ὥρα* tantum in formulis *ὥραν ποιεῖσθαί τινος, περί τινος, ὑπέρ τινος* vel etiam *ἐν μηδεμιᾷ ὥρᾳ τίθεσθαί τι* et in usitatissima *ὥραν ἔχειν* invenitur.

Conicio ergo librarium quum facillime ad trium versuum quae sequuntur extrema verba *ΔΟΜΟΥϹ*, *ΔΟΚΩ*, *ΛΟΓΟΙϹ* aberrare posset, perperam scripsisse *δοκεῖν* pro eo quod poeta scripserit *ἔχειν*. Recepta igitur Wunderi correctione *νέμει*, quae quanto aptior sit quam qui traditur optativus patet, coniungas *εἰ νέμει τινὰ ὥραν πατρὸς ἔχειν τοῦ καλῶς πράσσειν* et vertas: '*cur non filiorum aliquem mittis maximeque Hyllum, quem par*

est mitti, si re vera curam aliquam patris gerendam arbitratur, an ille salvus sit. *Νέμω* verbum simplex a Sophocle tralate pro derivato *νομίζω* dictum est locis septem, cf. Ellendt-Genthe lex. Sophocl., Sauppe ad Plat. Protag. p. 339 C neque offendit infinitivus ea qua latine reddidi significatione. Nam e Graecorum more verba putandi et iudicandi solus infinitivus sequebatur, quod haec verba quasi pleniore sensu aequum iudicandi accipiebantur. Cf. Plat. Phil. p. 59 A: *εἰ περὶ φύσεως ἡγεῖταί τις ζητεῖν*, Prot. p. 346 B: *Σιμωνίδης ἡγήσατο καὶ αὐτὸς τύραννον ἐπαινέσαι καὶ ἐγκωμιάσαι,* Herodot. V, 80, *δοκέω ἡμῖν Αἰγινητῶν δέεσθαι*, Eur. Or. v. 555

> *ἐλογισάμην οὖν τῷ γένους ἀρχηγέτῃ*
> *μᾶλλόν μ' ἀμῦναι τῆς ὑποστάσης τροφάς.*

Ipse Sophocles Ai. vv. 1171 sq.

> *καίτοι κακοῦ πρὸς ἀνδρὸς ὄντα δημότην*
> *μηδὲν δικαιοῦν τῶν ἐφεστώτων κλύειν,*

'censere minime iis qui imperium teneant parendum esse'. Et graecissantes Horatius epist. I, 2, v. 9;

> Antenor censet belli praecidere causam,

Tacitus histor. I c. 39, — cum alii in palatium redire, alii capitolium petere, plerique rostra occupanda censerent.

Trach. vv. 108 sqq.

Trachiniarum chorus ignarus, ubi terrarum sit Hercules, solem orat ut sibi nuntiet, ubi Alcmenae filius moretur. Nam a Deianira maritum desiderante semper lacrimas profundi, ut nunquam oculi sicci sint,

> *ἀλλ' εὔμναστον ἀνδρὸς δεῖμα φέρουσαν ὁδοῦ*
> *ἐνθυμίοις εὐναῖς ἀνανδρώτοισι τρύχεσθαι*
> *κακὰν δύστανον ἐλπίζουσαν αἶσαν.*

Dativis *ἐνθυμίοις εὐναῖς ἀνανδρώτοισι* plerique interprete causam afferri verbi *τρύχεσθαι* contendunt. At nemo verbis *εὔμναστον ἀνδρὸς δεῖμα φέρουσαν ὁδοῦ* negavit causam inesse, cur Deianira *τρύχεται*, quumque sint *κακὰν δύστανον ἐλπίζουσαν αἶσαν* epexegetice ut dicitur ad *εὔμναστον* et quae sequuntur apposita et eam ob causam non minus causam tabescendi afferant, vides quam moleste abundet dativus tertio causam afferens. Statuendum igitur est *εὐναῖς* dativum esse loci. Verum servato *ἐνθυμίοις*, si veram rei rationem exegeris, eodem fere redibis offensionis. Namque adi. *ἐνθύμιος* quum apud Graecos eum

significet qui in animo est, animo obversatur, de quo cogitamus etc. itaque ἐνθυμίοις εὐναῖς ἀνανδρώτοισι hoc loco vertendum sit: '*in viduo cubili, quod ei in animo est*', patet hac sententia nihil aliud nisi novam sollicitudinis causam adiectam esse. Neque de viduo cubili Deianiram laborare decuit, sed de mariti absentia et periculis, ut iam membris ἀνδρ. δεῖμ. φέρ. ὁδ. et κακ. δύστ. ἐλπ. αἶσαν diserte est enuntiatum. Aliter autem ἐνθυμίοις nequaquam explicari aut defendi potest. Si quis enim dixerit ἐνθυμίοις cum ὁδοῦ iunctum voluisse poetam, id fieri posse Hermann recte negavit propter numeros ita in nomine ὁδοῦ finitos, ut etiam hiatus pausam fieri iubeat. Delendum igitur censui ἐνθυμίοις quod glossema ἐνθύμιον ad rarissimum εὔμναστον adscriptum textui illatum est. Cuius loco ἐν νυκτέροις supplendum esse conieci. Cum enim vv. 29. 148 sq. 175 sq. nocturnum tempus animo curas afferre dicatur, in hoc quoque versu id tempus diserte indicari oportet. Compares Ovidianos versus

> — tristis eris, si solus eris,
> tristior idcirco nox est quam nubila Phoebi,
> quae relevet luctus turba sodalis abest.

eiusdem poetae Met. VIII, 81

> talia dicenti curarum maxima nutrix
> nox intervenit.

Vergilii Aen. I, 662

> sub noctem cura recursat.

Atque eodem plane modo quo Deianira maeret Penelopa illa Homerica, quae est quasi specimen atque exemplar earum mulierum, quarum mariti absentes retineantur aerumnisque premantur periculosis. Odyss. XIX, 509 sqq.

> ἤματα μὲν γὰρ τέρπομ' ὀδυρομένη, γοόωσα,
> ἔς τ' ἐμὰ ἔργ' ὁρόωσα καὶ ἀμφιπόλων ἐνὶ οἴκῳ.
> αὐτὰρ ἐπὴν νὺξ ἔλθῃ ἕλῃσί τε κοῖτος ἅπαντας,
> κεῖμαι ἐνὶ λέκτρῳ, πυκιναὶ δέ μοι ἀμφ' ἀδινὸν κῆρ
> ὀξεῖαι μελεδῶνες ὀδυρομένην ἐρέθουσιν.

Dione quoque mater Venerem filiam a Diomede vulneratam consolata nocturnum potissimum tempus luctus plenissimam praedicat verbis, Il. V, vv. 492 sqq.,

> μὴ δὴν Αἰγιάλεια περίφρων Ἀδρηστίνη
> ἐξ ὕπνου γοόωσα φίλους οἰκῆας ἐγείρῃ,

κουρίδιον ποθέουσα πόσιν, τὸν ἄριστον Ἀχαιῶν,
ἰφθίμη ἄλοχος Διομήδεος ἱπποδάμοιο.

Et similiter Aesch. Pers. vv. 135sqq.

λέκτρα δ' ἀνδρῶν πόθῳ πίμπλαται δακρύμασιν.
Περσίδες δ' ἀκροπενθεῖς ἕκαστα πόθῳ φιλάνορι
τὸν αἰχμάεντα θοῦριν εὐνατῆρ' ἀποπεμψαμένα
λείπεται μονόζυξ.

v. 145. Deianira maxime de Herculis fortuna sollicitata, quod et diu iam aberat et de hoc ipso absente sortem habebat gravissimam, virginum Trachiniarum choro quae suum animum moveant exponit. Exorsa autem chorum haud dubie adesse, quod angorem suum de absente marito audiverit, dicit quantopere animus suus concietur, velle se ne cognoscant expertae et nunc eas inexpertas esse. Continuat

τὸ γὰρ νεάζον ἐν τοιοῖσδε βόσκεται
χώροισιν αὐτοῦ, καί νιν οὐ θάλπος θεοῦ
οὐδ' ὄμβρος οὐδὲ πνευμάτων οὐδὲν κλονεῖ.

Quo in medio versu explicando schol. Laur. frustra operam dedit, tantum id modo nobis memoratu dignum tradens alios *αὐτοῦ*, alios *αὑτοῦ* scribere, *τὸ δ' αὐτοῦ τινες ψιλοῦσι καὶ νοοῦσιν αὐτόθι· ἔνιοι δὲ δασύνουσιν ἀντὶ τοῦ ἑαυτοῦ.* Hinc cod. Laur. a *ἁὐτοῦ* cum duplici spiritu. At quum pronomen demonstrativum *τοιοῖσδε* enuntiatio relativa sequi debeat, quo designetur quales locos Deianira intellegi velit, nomen *χώροισιν* in *χώροις, ἵν'* dividit Musgrave, id quod omnibus fere qui Sophoclem interpretantur probavit. Qua Musgravii coniectura recepta membrum relativum efficitur *ἵν' αὑτοῦ* sc. *ἐστίν* i. e. '*ubi sui iuris est*'. Sed puellae haud quaquam sui iuris dici possunt. Sunt enim aeque in potestate parentum atque mulieres in illa maritorum neque in sequentibus Deianira conditionem suam Herculis voluntati obnoxiam queritur, sed curas atque anxietates, quibus de eo afflictatur. Comparari igitur non quit Tibullus ab Hauptio Hermanno in memoriam revocatus, IV, 6, 15,

praecipit et natae mater studiosa quod optet,
illa aliud tacita, iam sua, mente rogat.

Quo loco poeta Romanus de filia iam aliud quid quam mater tacite secum cogitante loquitur, quod a nostro loco alienum esse patet. Altera autem offensio legitur in eis quae proxime sequuntur. Nam *κλονεῖν* agitare de imbre quidem et de ventis recte praedicatur, minime vero de sole, cuius praedicationis solum hoc

esset exemplum in tota graecitate. Fieri quidem potest ut per zeugma quod vocatur e *χλονεῖ* aptior praedicatio subiecti *θάλπος* intellegatur, sed cum et illud *χώροισιν ἁὐτοῦ* a Musgravio nondum emendatum esse supra probasse mihi videar, alia emendatio quaerenda est, qua hae duae offensiones tollantur. Atque gravius versum corruptum esse libere fateor me habere, quippe qui non solum vocem inanem *ἁὐτοῦ* exhibeat, sed etiam praedicatione caloris careat. Itaque suspicòr versum in libro manu scripto, e quo nostri codices derivati sunt, sic exstitisse mutilatum:

ΧΩΡΟΙϹΙΝ . . . ΟΥΚ ΑΙ . . ΝΙΝΘ ΑΛΠ . . ΘЄΟΥ.

Vides tres me syllabarum lacunas statuisse, quarum prima trium, altera et postrema binarum litterarum fuit. Quae ut emendarentur, syllabae expletae sunt, quae a schol. Laur. explicantur et in codicibus leguntur. Requiruntur igitur relativum, quo ad demonstrativum *τοιοῖοδε* refertur, nomen caloris, aptum caloris verbum. Quod pronomen relativum *ἔνθα*, nomen caloris *καῦμα*, verbum *θάλπω* fuisse ratus versum sic refingo

χώροισιν, ἔνθ᾽ οὐ καῦμά νιν θάλπει θεοῦ.

Itaque versuum sententia haec est: '*iuventus iis locis succrescit, ubi eam non dei aestus urit, neque imber aut procella ulla vexat*'. Ad *καῦμα θάλπει* cf. *καὶ καῦμ᾽ ἔθαλπε* Ant. v. 417.

v. 305

ὦ Ζεῦ Τροπαῖε, μήποτ᾽ εἰσίδοιμί σε
πρὸς τοὐμὸν οὕτω σπέρμα χωρήσαντά ποι
μηδ᾽ εἴ τι δράσεις, τῆσδέ γε ζώσης ἔτι.

Deianira postquam e Licha victorem et salvum Herculem mox esse rediturum accepit, quamvis laeta hoc nuntio tamen praesagiens futurum malum puellas, quas captivas miserat maritus, commiseratur. Tum subita perculsa anxietate Iovem Averruncum implorat, ne liberos servos reddat neve, si facturus sit, se viva id faciat. Extrema verba mihi quotiescunque relegi offendebant. Quid enim est a matris natura alienius, quid immanius aut asperius quam tale quid concedere matrem, dum modo ipsa ne sentiat malum liberis illatum? Soli autem quod sciam Wecklinio haec sententia esse inhumanior videtur. Qui vero quum optime tamen se habere dicit versum, quod et natura exprimitur illa desideratione et quod eventus rationem habet poeta, magis ut versum defendat mihi videtur spectasse, quam quid poeta dignum sit respexisse. Nullo igitur modo a me impetrare possum, ut haec scripsisse credam summum poetam, qui quemadmodum af-

fectam esse deceret coniugem amantissimam et matrem maxime sollicitam probe sciebat hominesque fingebat non quales essent vel esse possent, sed quales esse oporteret, cf. quae ipse de se dixit, Aristot. poet. c. 26 § 11: *αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ οἷοί εἰσιν.* Neve hic quidem id commisit, sed in fabula Iphigenia Aulidensi vv. 784 sqq. virginum chorum, qui patriae eversionem et servitutis sortem deprecatur, pronuntiantem fecit:

μήτ' ἐμοί, μήτ' ἐμοῖσι τέκνων τέκνοις
ἐλπὶς ἅδε ποτ' ἔλθοι.

Vides has puellas simplices et quasi plebeias ut ita dicam, si comparaveris cum Deianira femina regia, non tam inhumane sentire, sed ne liberorum suorum liberos quidem pati servos fieri. Ipse Aeschylus, ut erat durior vir Marathonius, tamen non diserte de liberis memorantem finxit Thebanarum chorum, sed summatim detestantem, Sept. c. Theb. vv. 219 sqq.

μή ποτ' ἐμὸν κατ' αἰῶνα λίποι θεῶν
ἅδε πανάγυρις, μηδ' ἐπίδοιμι τάνδ'
ἀστυδρομουμέναν πόλιν καὶ στράτευμ'
ἁπτόμενον πυρὶ δαΐῳ.

Ergo quae puellas innuptas Aeschylus non diserte, Euripides omnino non loqui voluerunt, eane Sophocles matrem profitentem fecit? Minime. Delendus est versus, qui quum iam ab scholiasta Laur. sit explicatus neque tamen ex iis, quae supra exposui, sit ferendus, dubitari non potest, quin ab aliquo histrione affictus sit, qui fortasse Iolai verba in Eurip. Heraclidis v. 66

οὐκ ἂν γένοιτο τοῦτ' ἐμοῦ ζῶντός ποτε

memoria tenebat neque condiciones matris sollicitae et exulis supplicis discernebat.

v. 526. Chorus atrocem pugnam quae erat commissa inter Herculem et Acheloum fluvium enarrat carmine, quam enarrationem concludit verbis

ἐγὼ δὲ μάτηρ μὲν οἷα φράζω.

At mater huius loci omnino non est. Quo perspecto inepte ex inepta scholiastae interpretatione Hartung hunc versum sic redegit:

ἐγὼ δὲ τὰ τέρματ' οἷα φράζω.

Quo nihil frigidius. Opponitur enim *ἐγὼ κτλ.* eis, quae proxime adiuncta sunt:

τὸ δ' ἀμφινείκητον ὄμμα νύμφας
ἐλεινὸν ἀμμένει.

Hinc efficitur ut chorus verbis *ἐγώ κτλ.* dicat se tanquam spectatorem securum illius pugnae atrocitatem enarravisse. Reponas igitur *θεατής* pro *μάτηρ*. Nimirum aberraverat librarius ad v. 530 *ματρός*. Sententia igitur haec est: '*ego tanquam spectator securus haec enarro, sed virgo, quippe quae victorem esset secutura, sollicita eventum certaminis exspectabat*'. Haec recte disputata esse ex ipsius Deianirae verbis quae respicit chorus colligo, vv. 19 sqq.

> ὁ κλεινὸς ἦλθε Ζηνὸς Ἀλκμήνης τε παῖς·
> ὃς εἰς ἀγῶνα τῷδε συμπεσὼν μάχης
> ἐκλύεταί με. καὶ τρόπον μὲν ἂν πόνων
> οὐκ ἂν διείποιμ'· οὐ γὰρ οἶδ', ἀλλ' ὅστις ἦν
> θακῶν ἀταρβὴς τῆς θεᾶς, ὅδ' ἂν λέγοι.

v. 549. Maesta de mariti mala fide, qui Iolen captivam pulcherrimam domum suam paelicem miserat, Deianira ad chorum queritur: se cum illa eadem in domo habitare non posse, videre enim se alteram iuventutem procrescentem, alteram evanescentem. Pergit:

> ὧν ἀφαρπάζειν φιλεῖ
> ὀφθαλμὸς ἄνθος, τῶν δ' ὑπεκτρέπει πόδα.

Quae verba a schol. Laur. sic explicantur: *τὸ ἄνθος τῶν νέων γυναικῶν φιλεῖ ἀρπάζειν ὁ ὀφθαλμὸς τοῦ ἀνδρός. Τῶν δὲ ὑπαναχωρεῖ, δηλονότι τῶν πρεσβυτέρων.* Pronomina igitur *ὧν* et *τῶν* ad mulieres in universum referebat, sed Deianira tantum de Iolae efflorescente aetate atque sua marcescente loquitur. Rectius igitur alter schol. Laur. interpretatur: *ὧν δύο ἡλικιῶν τὴν νεάζουσαν ἁρπάζειν εἴωθεν ὁ τοῦ ἀνδρὸς ὀφθαλμός.* Qua interpretatione probata Wunder vertit: '*quarum iuventutum florem decerpere solet oculus, ea vero quae marcescunt fugit*'. At quum pronomen *ὧν* de duobus aetatibus dictum acceperis, fieri non potest, quin pronomen quoque parallelum ut ita dicam *τῶν* eodem sensu accipias; id quod sententiam reddit ineptam. Tum offendit solus oculus, qui accuratius definiendus est genetivo, ut denotetur cuius oculus hanc aetatem rapere soleat. Accedit quod verbum *ὑπεκτρέπειν* hoc uno loco genetivo coniungitur, quamquam OC. v. 566 et apud Platonem p. 108 B huius verbi genus medium cum accusativo compositum est, *ὑπεκτρέπειν πόδα* autem nihil aliud nisi medium *ὑπεκτρέπεσθαι* sonat. Et Graecis sollemne fuisse verba fugiendi cum accusativo coniungere ita ut ea quoque verba, quae cum praepositionibus

ἐξ, ὑπό, ἀπό genetivum poscentibus composita sunt, accusativus sequeretur, probatur exemplis verborum: ἐξίστασθαι, ἐκστῆναι, ὑπεξίστασθαι, ἀφίστασθαι, ἐκτρέπεσθαι, ὑπεξέρχεσθαι, ἐκβαίνειν, ἐκκλίνειν, quibus, simulatque mera fugiendi significatio inest, accusativus pro solito genetivo additur. Ita semper iisdem praepositionibus compositum verbum ὑπεκτρέχειν cum accusativo invenitur, Trach. v. 167 χρόνου τέλος, Ant. v. 1086 τοξευμάτων θάλπος, Eur. Med. v. 524 γλωσσαλγίαν, Andr. v. 415 μόρον, Phoen. v. 873 θεούς, Herod. I, 156 τὸ παρόν. Quodsi igitur cum Wecklinio, ars Soph. emend. p. 72, genetivum τῶν in accusativum τήν mutaveris, quod librarius ad ὧν in scribendo aberravit, habes iam posterius membrum et sententia dilucidum et legibus grammaticis rectum,

τὴν δ' ὑπεκτρέπει πόδα,

i. e. *'hanc fugit'*. Cui membro aptissime respondere patet membrum, quod alter schol. Laur. explicat. Eius enim sententia est: *'quarum aetatum iuvenilem viri oculus rapere solet'*. Genetivum igitur pronominis ὧν subiungit accusativo omisso, quem statuit esse τὴν νεάζουσαν, ἄνθος quod abundat non novit, supplet genetivum ἀνδρός, qui vel maxime necessarius est sententiae integrae. Quae cum ita sint, mutandum quoque censeo ἄνθος in ἀνδρός, ita ut poeta sic scripsisse putandus sit:

ὧν ἀφαρπάζειν φιλεῖ
ὀφθαλμὸς ἀνδρός, τὴν δ' ὑπεκτρέπει πόδα,

'quarum illam rapere i. e. illa frui solet, hanc fugit viri oculus i. e. vir quum aspicit'. Spero fore ut hac mea versione intellegatur, quam non abundet genetivus ἀνδρός, imo vero quam necessario requiratur. Voculae vero τήν μέν omissae sunt ut El. v. 1291 τὰ μέν, Trach. v. 117 τὸ μέν. Cf. Sauppe ad Plat. Protag. p. 330 A, adnot., Kuehneri gr. gr. II p. 808, adnot. 4 et p. 814, 3. Wecklein l. c. Trach. v. 135 τῷ δ' ἐπέρχεται et v. 117 confert, delegat ad Seyfferti adnot. ad Ai. v. 235.

Quae emendatio alterius Laur. scholiastae et explicatione et silentio comprobatur. Secundum enim membrum τὴν δ' ὑπεκτρέπει πόδα ut cuius plana sit sententia praetermittit, at prius, in quo pronomen τήν μέν deest, ita explicat, ut τὴν νεάζουσαν ad genetivum ὧν cogitando expleat et pro ἄνθος, quod omnino non legit in suo libro, genetivum ἀνδρός necessarium tradat. Prior autem scholiasta, qui facere non potuit quin idem ad ὀφθαλμός genet. ἀνδρός suppleret, absurde absurda verba explicavit.

v. 846. Postquam Hyllus filius matri maxime perturbatae et tacite abeunti saeva cum ironia eadem optavit, quae patri dono dederit, chorus quae in sortis tabella scripta erant cum Herculis aegroti conditione comparat. Quarum rerum miserrima, ita enim pergitur altera stropha, illa sortis verba non intellexit, haec vero Nessi dona ex aliena mente profecta esse pernicioso commercio non didicit. Quibus additur:

ἦ που ὀλοὰ στένει.

Verbum *στένει* quamquam sensu aptissimum tamen corruptum esse metri ratione probatur. Nam et versus antistrophicus

ἃ τότε θοὰν νύμφαν

et duo qui subiuncti sunt versus

ἦ που ἀδινῶν χλωρὰν
τέγγει δακρύων ἄχναν,

cui respondent

ἄγαγες ἀπ᾽ αἰπεινᾶς
τάνδ᾽ Οἰχαλίας αἰχμᾷ

demonstrant pro iambo *στένει* spondeum requiri. Et erat quum glossema habens *στένει* aliud lamentandi verbum velut *μύζει* substituerem, cf. Aesch. Eum. vv. 117. 189. Sed ut *στάζει* praeferrem, movit me scholiasta Laur. explicans ad v. 848: *ὄντως δὴ ἡ ἀθλία καταστάζει καὶ καταβρέχει πολλῶν δακρύων ἀφρόν.* Coniunxit igitur verbum, quod per *καταστάζει* explicavit, cum iis quae sequuntur. Quod solum esse potest *στάζειν.* Notus enim est usus verborum simplicium apud poetas pro compositis prosae orationis. *στάζειν* autem transitive dictum sexcentis locis invenitur, ut exempla afferre supervacaneum sit.

vv. 854 sqq. Eiusdem carminis antistropha altera chorus ob misericordiam sortis Heracleae lacrimas tenere non potest,

ἔρρωγεν παγὰ δακρύων
κέχυται νόσος, ὦ πόποι, οἷον
ἀναρσίων οὔπω ἀγακλειτὸν Ἡρακλέους
ἐπέμολεν πάθος οἰκτίσαι.

Haec neque respondent versibus strophicis 842 sqq.

ὧν ἅδ᾽ ἁ τλάμων ἄοκνον
μεγάλαν προσορῶσα δόμοις βλάβαν
νέων ἀισσόντων γάμων τὰ μὲν οὔ τι
προσέβαλεν, τὰ δ᾽ ἀπ᾽ ἀλλόθρου —

neque grammatice recta sunt.

Atque primum quidem genetivus *Ἡρακλέους* homines doctos valde offendit. Non enim explicari potest, unde genetivus pendeat, neque accusativus in paucis apographis correctus quicquam auctoritatis habet. Glossema igitur esse plerique interpretum statuerunt. Solus quod sciam Wecklein genetivo servato *βίαν* explevit dubius, quid aliud addendum esset. Neque minus incerta Wunderi aut Dindorfi supplementa sunt. Nam *Ζηνὸς κόρον* aut *Ζηνὸς κέλωρ'* incertiora esse quivis intellegat necesse est et tam singularium vocum interpretationes scholiastarum exstitissent. Nihil autem hi in enarrandis versibus 854 et 855 de talibus vocibus explicarunt et haec verba chori ad Herculem referri per se intellegitur. Itaque veri simile non est tale quid intercidisse, sed multo veri similius, ut saepe factum esse libris collatis demonstratur, voculas quasdam vel syllabas, quae facile praetermitti potuerunt a librariis. Deleto igitur genetivo *Ἡρακλέους* e glossemate *Ἡρακλέα* orto restituerim

> *κέχυται νόσος, ὦ πόποι, οἷον ἐξ*
> *ἀναρσίων οὔπώποτ' ἄνδρ' ἀγακλειτόν* —.

Quibus tribus syllabis suppletis concedendum est et sententiam verborum rectam et metro satisfactum esse.

vv. 947—970. (vv. 958. 961. 964).

Quum nutrix Deianirae mortem voluntariam nuntiavisset, chorus dubius, quae mala prius gemat, utrum domestica an forensia, de Herculis malis cantat. In quo carmine tres versus inveniuntur, quos nondum expediverunt vv. dd. Sunt isti tres versus 958 *μοῦνον εἰσιδοῦσ' ἄφαρ*, 961 *ἄσπετόν τι θαῦμα*, 964 *ξένων γὰρ ἐξόμιλος ἥδε τις βάσις*. Quorum in primo *μοῦνον*, quod libris traditum est, merito suspectum est. Nam ex verborum sententia adiectivum contrarium sonans adiectivi *ἄλκιμον* exspectatur. Quod non est *καῦρον* a Nauckio 'temptatum'. Hoc enim vocabulo *κακόν* designari lexicographi veteres tradunt. Quae vis huic loco non convenit, quod constat *κακός* plane ut Latinorum malus, nostrum schlecht nunquam de infelici homine dictum esse et oppositum adi. *ἀγαθός* sim. Conicio igitur *μοῦνον* falso scriptum esse ab aliquo librario pro eo, quo poeta usus est *μαῦρον*, quod miror spretum esse ab Hermanno, qui *μανόν* proposuit. Sed adiectivi *μανός* quum prior syllaba anceps est, tum vis atque significatio non recte ex diametro ut aiunt adiectivo *ἄλκιμος* opponi potest, sed multo magis adiectivo *πυκνός*. Est enim fere idem quod Latinorum rarus. *Μαῦρος*

autem adiectivum amputatum, ut μαυρόω ex ἀμαυρόω, eodem hic sensu est usurpatum, quo OC. v. 1018 ἀμαυρός positum esse Doederlein èxposuit: 'nam ἀμαυρός, ait v. d., quum proprie esset non splendidus, οὐ μαρμαίρων, plane in tenuitatis vel infirmitatis notionem abiit'. Recte quidem vocis notionem perspexit, minus recte etymologiam s. veriloquium. De quo cf. Curtii elem. etymol. graec. p. 554 sq., Goebel I p. 295 sq.

Itaque Trachiniarum chorus haec fere cantat: '*utinam flatu secundo aura exoriatur, quae me ex his locis abripiat, ne pavore moriar, quum Iovis filium* validum invalidum *subito adspexerim'*.

Pergitur: '*siquidem aiunt domum eum venire immedicabili correptum dolore* ἄσπετόν τι θαῦμα'. Postrema graeca verba offendunt. Nam θαῦμα prodigium Hercules dici non potest. Quod nomen recte quidem de hominibus vel rebus admirationem incutientibus, cf. Homericum θαῦμα ἰδέσθαι, praedicari solet, sed qua ratione de homine misero dici possit, non assequor. Atque nobis sententiarum seriem cogitantibus chorus de valido olim Hercule nunc vero misero atque aegroto non θαῦμα, sed θέαμα dixisse videtur, quod iam Herwerdenium anal. crit. p. 22 et Schenklium annal. schol. Austr. 1869, p. 532 coniecisse sero cognovi. Infandum quoddam spectaculum dici valentem Herculem tali modo affectum multo concinnius est quam miraculum. Nomine autem θέαμα hac ipsa tristi vi utitur poeta OR. v. 1295

θέαμα εἰσόψει τοιοῦτον οἷον καὶ στυγοῦντ' ἐποικτίσαι

de caecato Oedipo et Ai. v. 992 de Aiacis cadavere

ὦ τῶν ἁπάντων δὴ θεαμάτων ἐμοὶ ἄλγιστον.

Deinde v. 964 nequaquam explicari possunt verba

ξένων γὰρ ἐξόμιλος ἥδε τις βάσις.

Nam adi.: ἐξόμιλος, quod hoc uno nostro loco neque apud ullum alium scriptorem legitur, peregrinum vulgo quidem interpretantur. Sed genetivo ξένων iam indicatum est βάσιν peregrinorum esse, cui si adiunxeris alteram attributionem idem valentem, meram poetae tautologiam obtrudes alienam hoc loco. Tum ἐξόμιλος non est peregrinus, sed is qui extra hominum coetus versatur, quod in hac verborum enuntiatione ferri non potest. Deleto igitur ἐξόμιλος, quod ὅμιλος glossa interlinearis vocis στάσις in textum illata expulerit vocem genuinam, Meineke legendum censuit

ξένη ξένων γὰρ ἧξεν ἥδε τις στάσις.

Primum *στάσις* pro *βάσις* scripsit, quod eadem haec *βάσις* in sequentibus *ἄψοφον βάσιν φέρειν* dicatur et quod scholiasta ad hunc versum *ἄθροισμα ξένων ἀνδρῶν* et ad v. 965 *ποῦ καὶ φέρει αὐτὸν ὁ ὅμιλος* explicaverit. At *στάσις* de quocunque hominum coetu dictum non est neque propter eius vim dici potest. Est enim statio, status et tralate dictum seditio, dissidium cet., quae huic loco adversari patet. Tum v. 967 praedicationi *ἄψοφον φέρει βάσιν* subiectum non iam est v. 964 *βάσις*, sed ex *ξένων βάσις* rectissime a scholiasta suppletum est latius patens *ἄθροισμα* vel simile quoddam hominum coetum designans. Reiecto autem nomine *στάσις* explicari non potest, qua ratione *ὅμιλος* poetae verbis illatum sit. Atque *ξένοι* praeter Meinekium omnes cum Triclinio ex dittographia *ξένων* ortum deleverunt. Relinquuntur igitur verba a me in principio huius disputatiunculae citata. In quibus restat solum inexplicatum *ἐξόμιλος*. Quod ex *ἧξ' ὅμηλυς* ortum esse conicio a librario, quum transcribendum erat ЄΙΞΟΜЄΛΥC, in *ἐξόμιλος* mutatum. Iam verbis *ξένων βάσις* sua attributio *ὅμηλυς* et sua praedicatio *ἧξε* reddita est. Aptissima enim fit sententia: '*Peregrinorum comitum ingressus appropinquavit*'. *Ὅμηλυς*, quod est apud Nonnum et formatum ut *ἔπηλυς* vulgare atque notissimum Graecorum vocabulum apud Herodotum, Thucydidem, Platonem, poetas tragicos etc., *νέηλυς* Hom. Il. X, 434, 558, Herod. I, 118, Plat. leg. IX p. 879 D cet., per enallagen quam vocant attributorum cum *βάσις* coniunctum est, quum per sententiam ad *ξένων* pertineat. Neque Nonnus, ut R. Schneidero videtur, obstat, quominus hic *ὅμηλυς* a Sophocle usurpatum esse putemus. Nam cum omnes Graeci poetae post Homerum ex eo plus minusve res et verba sumpserint, tum posteriores usque ad extrema Graecitatis tempora antiquiorum verba poetarum usurpabant, cf. Anthologia graeca, ut mirum non sit, poetam vel quinti post chr. n. saeculi vocabulo Sophoclis aliorum similitudine recte formato usum esse. Multo magis mirandum esset, si Nonnus ex sua sermonis Graeci copia id creavisset.

Phil. vv. 159—161 delendi esse mihi videntur,

NЄO. *οἶκον μὲν ὁρᾷς τόνδ' ἀμφίθυρον*
πετρίνης κοίτης.
XO. *ποῦ γὰρ ὁ τλάμων αὐτὸς ἄπεστιν;*

Quod ut demonstrem, paullo plenius sententia versuum qui praecedunt explicanda mihi videtur.

Chorus accedens ad Neoptolemum quaerit, quid ei subserviat, qui respondet: '*aspice antea fidenter antrum, forte enim id cupis; at ubi veniet Philocteta, hocce ex antro recede daque operam, ut pro re nata mihi servias*'. Chorus: '*rem iubes iam diu meditatam mihi*'. Sequuntur verba a plerisque perverse intellecta:

> *νῦν δ' ἐμοὶ λέγ', αὐλὰς ποίας ἔνεδρος* vv. 152 sqq.
> *ναίει καὶ χῶρον τίν' ἔχει — —*
> *τίς τόπος ἢ τίς ἕδρα;*

Auctore enim Schultzio vel, si Wundero fidem habeas, Matthiaeo *αὐλάς* et *ἕδραν* ad habitationem sollemnem Philoctetae, *χῶρον* et *τόπον* ad locum, in quo cum maxime versatur, referunt. Sed quum pronomen interrogativum *ποῖος* hoc loco idem valeat atque *τίς*, quod et quae sequuntur *χῶρον τιν' ἔχει* quasi *ἐκ παραλλήλου* posita et *τίς τόπος ἢ τίς ἕδρα* v. 157 arguunt, chorus tum rogaret. quaenam esset Philoctetae habitatio vel ubi habitaret. Quod ferri non potest. Nam quamquam chorus (quem una cum Ulixe et Neoptolemo progressum esse propter ea statuendum est, quod eius *πάροδος* qui vocatur omnino deest) quamquam igitur illorum diverbium non audiverat, quod apparet e v. 158, quo rogat sitne intus an foris Philocteta, *τίν' ἔχει στίβον ἔναυλον ἢ θυραῖον*, quum alioquin e diverbii vv. 29 sqq. satis compertum habuisset non esse domi claudum; tamen necesse est eum optime cognovisse sibi Neoptolemum adiuvandum esse in reducendo Philocteta pertinaci. Quod non solum ex tota eius ratione elucet, sed etiam e primis verbis quae loquitur vv. 153 sq.

> *τί χρή, τί χρή με, δέσποτ', ἐν ξένᾳ ξένον*
> *στέγειν ἢ τί λέγειν πρὸς ἄνδρ' ὑποπταν;*

Quo efficitur ut Neoptolemi verba vv. 144 sqq., quibus chorus antrum visere iubetur, ab hoc non intellegi non possint de antro Philoctetae. Novit ergo chorus ex his verbis antrum, quod adspiciebat, Philoctetaeum esse. Ineptum ergo est chorum rogare, quae eius sit habitatio. Tum minime necesse est e verbis ipsis eam quae vulgo subicitur sententiam enucleari. De verbi *ναίειν* vi ac significatione forte versandi cf. quae attulerunt Ellendt et Genthe in lexico Sophocleo. *Αὐλή* ab Athenaeo p. 189, 6 (*ὁ*) *διαπνεόμενος τόπος* dicitur. Locorum igitur agrestium significatio, quae primitiva Ellendtio videtur esse, hic accipi potest. Quo vero maxime nituntur vv. dd. adiectivo *ἔνεδρος*, *ut incola inhabitans*, hoc non proprie incolam significat neque inhabitantem, sed quum *ἕδρα* sedes, locus commorationis sit, *ἔνεδρος* est in-

sidens, commorans. Nihil aliud igitur chorus rogat quam: '*dic mihi quae loca teneat Philocteta* i. e. ubi versetur'. At tunc mera loco tautologia inest. Sed eadem chori verbis graviter flagitantis inest OC. vv. 234 sq.

σὺ δὲ τῶνδ' ἑδράνων πάλιν ἔκτοπος
αὖθις ἄφορμος ἐμᾶς χθονὸς ἔκθορε,

et Philoctetae gaudio exsultantis vv. 236 sq.

τίς σ', ὦ τέκνον, προσέσχε, τίς προσήγαγε
χρεία; τίς ὁρμή; τίς ἀνέμων ὁ φίλτατος;

Ai. v. 270

πῶς τοῦτ' ἔλεξας· οὐ κάτοιδ' ὅπως λέγεις;

Eurip. fragm. apud Clement. Alex. Strom. VI p. 742:

ποίαν σε φῶμεν γαῖαν ἐκλελοιπότα
πόλει ξενοῦσθαι τῇδε; τίς πάτρας ὅρος;
τίς ἔσθ' ὁ φύσας; τοῦ κεκήρυξαι πατρός;

Item igitur his in versibus cumulata verba synonyma urgentes chori preces exprimunt. Hunc quem explicavi sensum eum esse quem poeta dictum voluerit, evincunt verba quae sequuntur

τὸ γάρ μοι
μαθεῖν οὐκ ἀποκαίριον,
μὴ προσπεσών με λάθῃ ποθέν.

Quibus quum non protinus responderit Neoptolemus, chorus instans adiungit

τίς τόπος ἢ τίς ἕδρα, τίν' ἔχει στίβον
ἔναυλον ἢ θυραῖον;

Haec igitur causa est, quare chorus Neoptolemum roget, ubi versetur Philocteta, ne necopinans ab eo opprimatur. Hinc liquet ineptissime chorum rogare, ubi sit habitatio, imo vero si utique *αὐλάς* ad hanc referre velles, ei rogandum fuisse, num esset domi Philocteta. Quod e verbis traditis ullo modo elici posse nego. Quae etiam confirmant extrema eius verba *τίν' ἔχει στίβον, ἔναυλον ἢ θυραῖον;* Quo versu quum *θυραίῳ* fere is opponatur, qui sit intus, manifesto chorus rogat: '*estne intus an foris*'. Postquam igitur primo summatim rogavit, ubi versetur Philocteta, deinde distinguit, utrum sit intus an foris.

Quae si recte disputata sunt, inepte Neoptolemus quasi haesitans atque chorum non novisse Philoctetaeum antrum, quod vv. 144 sq. demonstraverat, opinatus respondet: '*domum quidem vides*', certe multo aptius ad illius verba flagitantia

δῆλον ἔμοιγ᾽, ὡς φορβῆς χρείᾳ κτέ.

Cf. quae dixit Ulixes vv. 41 sqq. Accedit quod neglectae responsionis leges aegre feruntur. Quas in vv. 135 sqq. a poeta observatas esse iam Hermannum in retractatt. adnotatorum ad Soph. Phil. p. 3 sq. non fugit. 'Choro, inquit enim, quaerenti quid se facere velit Neoptolemus, tam accommodate ille respondet sex versuum anapaesticorum systemate, ut nulla appareat suspitio vitii. At mirum tamen est quod non eadem est ratio anapaestorum, qui antistropham sequuntur'. Coniecit igitur versus tres, quae tribus Neoptolemi et chori vv. 159—161 responderent, post stropham excidisse. Sed aptissime cohaerent quae chorus vv. 135 sqq. et Neoptolemus vv. 144 sqq. loquuntur, si distinxeris post verba νῦν μέν, ut coniungantur cum δέρκου θαρσῶν. Tum enim choro roganti τί σοι χρεὼν ὑπουργεῖν, Neoptolemus respondet νῦν μὲν δέρκου θαρσῶν, ἴσως γὰρ τὸν τόπον προσιδεῖν ἐθέλεις· ὁπόταν δὲ μόλῃ κτλ. Apparet νῦν μέν et ὁπόταν δέ sibi opposita esse. Neve systema quae dicitur anapaesticum monometro supervacaneo laederetur, idem v. d. verba οὐδέ τιν᾽ αὐτῷ delevit pro iis, quae ego delenda esse censeo στυγερὸν στυγερῶς vel ut Brunck corrigebat σμυγερὸν σμυγερῶς. Quae verba ne eis quae sequuntur coniungas, non tantum verborum collocatio vetat, sed etiam sententia loci quae efficitur absurdissima. Sin vero cum θηροβολοῦντα πτηνοῖς ἰοῖς coniungi velis, στυγερόν quidem vel σμυγερόν recte se habet, sed nisi inepte loqui velis, στυγερῶς vel σμυγερῶς idem atque ἐπιπόνως schol. Laur. i. e. operose tibi statuendum est. Quod ferri non potest. Nam quum in tali verborum rhetorica collocatione aut plane contraria sibi opponuntur aut plane eadem significantia coniunguntur, tum in hac adiectivi et adverbii copulatione et in graecis et in latinis scriptoribus adiectivum et adverbium unam eandemque vim ac significationem habent. Ita enim millies κακὸς κακῶς iunguntur et δεινὸς δεινῶς El. vv. 198 et 221 (δεινῶς ἠγάσθην ἐν δεινοῖς e coniectura Meinekii), μέγας μεγαλωστί Il. XVI v. 776, XVIII v. 26, Odyss. XXIV v. 40, αἰσχρὸν αἰσχρῶς Soph. El. v. 899, κοινὰ κοινῶς Menander ap. Stobaeum, Floril. 124, 6, ἀνθρώπινα ἀνθρωπίνως Plut. Moral. p. 118 C., ἐλεύθερος ἐλευθέρως Lucian. 47, 20, καλὸς καλῶς id. 48, 50. Cf. Cicero ad Att. III ep. 23 § 5 'miserum misere' et quae A. O. Lorenz ex fabulis Plautinis congessit ad Mostellariae versum 178 (187 edit. Ritschl.). Sed 'quid moror exemplis, quorum me turba fatigat?'

Et στυγερὸν στυγερῶς et verba versuum 159—161 delenda

sunt temere, quum praecedentes versus non intellegerentur, addita. Schema enim responsionis vv. 135—168 hoc est

Chor.	Neopt.	Chor.	Neopt.
stroph. α′	sex vv.	antistr. α′	sex vv.

vv. 290 sq. Philocteta quum conditionem suam miseram choro narrat, inter alia quae eum vexabant mala pedis ulcerosi impedimenta exponit. Quum enim feram aliquam sagitta cecidisset

αὐτὸς ἂν τάλας, inquit,

εἰλυόμην δ ύ σ τ η ν ο ς ἐξέλκων πόδα.

Δύστηνος falsum esse consentiunt vv. dd. ad unum omnes et lenissimam Canteri mutationem *δύστηνον* receperunt. Qua lenissima mutatione locus non emendatur, sed depravatur. *Δύστηνος* enim adiectivum inde ab Homero proprie de hominibus miseris, tum ut Latinorum miser de rebus, conditionibus sim., minime vero de corporis membris excepto hoc uno loco dicitur. Neque propter eius vim insitam de corpore eiusque partibus dici potest. Quod quum ita sit, statuendum est glossema ab aliquo ad *τάλας* margini adscriptum postea textui illatum esse, quo attributio nominis *ποδός* expulsa sit. Quae qualis fuerit, facile coniectura assequi potes. Fuit enim *ἀ λ γ ε ι ν ό ς* vox a Sophocle usitata, d o l o r e   a f f i c i e n s scil. Philoctetam. Scribendum igitur statuo

εἰλυόμην ἀ λ γ ε ι ν ὸ ν ἐξέλκων πόδα.

vv. 691 sqq. Vexatissimo ab criticis carmine poeta audituris Philoctetae sortem in insula Lemno infelicem atque desolatam exponit,

Ἵν᾽ αὐτὸς ἦν πρόσουρος οὐκ ἔχων βάσιν
οὐδέ τιν᾽ ἔγχωρον κακογείτονα,
παρ᾽ ᾧ στόνον ἀντίτυπον
βαρυβρῶτα πόδα κλαύσειεν αἱματηρόν.

Locus a quovis interpretum tentatus est neque adhuc certo emendatus. Fuerunt qui *αὐτός* et *πρόσουρος* coniungere vellent, ut sibi vicinus Philocteta dicatur. Sed tum addendum erat *ἑαυτῷ* et abundat *αὐτός*. cf. Luciani Timon. c. 43 *ἑαυτῷ γείτων καὶ ὅμορος.* Explicandum igitur est cum scholiasta et plerisque interpretibus pronomen *αὐτός* per *μόνος*. Quod fieri posse Cavallin negat. At et principalis pronominis vis et usus apud scriptores Graecos contrarium evincunt. *Αὐτός* enim i p s e est, scil. non alii, i. e. s o l u s, cf. Hom. Il. VIII v. 99

Τυδείδης αὐτός περ ἐὼν προμάχοισιν ἐμίχθη,

ad quem versum cf. interpretes. Cui pronomini, ut solitudinis vis clarius appareat, ab Homero *οἶος*, ab Atticis scriptoribus *μόνος* adiungitur, ut recte hoc nostro loco scholiastam pronominis usum explicasse dicas interpretantem *ὅπου αὐτὸς μόνος — ἦν*. Unde efficitur ut adiectivum *πρόσουρος* cum verbis *οὐκ ἔχων βάσιν* coniungendum sit. Qua voce ionica vicinus apud Herodotum quinquies significatur. Sed haec vis nostro loco alienissima est. Iure enim quaeris cui dicatur Philocteta vicinus esse, quum tamen proxime praecedenti *αὐτός* solus esse denotetur. Ergo adiectivum *πρόσουρος* emendandum est. Reicienda est Bothii quoque et Madvigii coniectura *πρόσουρον οὐκ ἔχων βάσιν* 'vicinum cuiusquam gressum non habens', quum his verbis mera poetae iteratio, quam Graeci tautologiam vocant, obtrudatur. Idem autem scholiasta qui *αὐτός* recte intellexit, *πρόσουρος* esse ait *ὑπὸ ἀνέμων βαλλόμενος, πρὸς ἄνεμον τετραμμένος*. Quidni legerit et explicaverit *πρὸς οὖρον* verba poetae? *Οὖρος* vero non est ventus secundus, quod proprie dictum non invenitur in Sophoclis quae exstant, sed est nostrum Hort, ut Homericum *οὖρος Ἀχαιῶν*, cf. Hesychii glossa: *οὖρος· βασιλεύς, φύλαξ, σωτήρ* et derivatum a radice *ϝορ*. Unde orta sunt Graecorum *ὅρομαι, ὁράω, οὐρεύς, ἐπίουρος, θυρωρός, πυλαωρός, δυσωρός, δυσωρέειν* etc., Latinorum vereor eiusque derivata, nostra antiqua giwar, wara, hodierna gewahr, wahrnehmen, wahren, wart, warten etc., cf. Curtii elementa etymol. graec. p. 349 n. 501, edit. IV.

Est igitur *οὖρος* qui curam gerit alicuius nostro versui aptissimum. Quum enim post *αὐτός* distinxeris et *πρὸς οὖρον* cum sequentibus coniunxeris, sententia evadit: '*ubi solus erat, non habens sospitatorem sive auctorem salutis quem adiret, ne indigenam quidem mali vicinum* etc.' Ex proxime praecedentibus ad accusativum *τιν' ἔγχωρον κακογείτονα* audias vel praepositionem *πρός* vel si magis placeat participium *ἔχων*. Animum autem advertas orationis gradationem: 'solus erat, non habebat qui ei mederi posset, ne incolam quidem mali vicinum, apud quem lamentari posset'. Cf. chori verba hui. fab. vv. 169 sqq.

οἰκτείρω νιν ἔγωγ', ὅπως
μή του κηδομένου βροτῶν
μηδὲ ξύντροφον ὄμμ' ἔχων
δύστανος, μόνος ἀεί,
νοσεῖ μὲν νόσον ἀγρίαν etc.

Ipse Philocteta in enarranda sua sorte Neoptolemo dicit vv. 279 sqq.

ὁρῶντα μὲν ναῦς, ἃς ἔχων ἐναυστόλουν,
πάσας βεβώσας, ἄνδρα δ' οὐδέν' ἔντοπον,
οὐχ ὅστις ἀρκέσειεν οὐδ' ὅστις νόσον
κάμνοντι συλλάβοιτο κτέ.

Acris. fragm. n. 58. Dindorf.

De fragmentis quinquagesimum octavum emendandum mihi proposui, quippe quod verbo adhuc corruptum est, quo miror non offendisse vv. dd. Fragmentum autem apud Stobaeum VIII, 2 hoc est:

βοᾷ τις· ὢ ἀκούετ'· ἢ μάτην ὑλακτῶ;
ἅπαντα γάρ τοι τῷ φοβουμένῳ ψοφεῖ.

Verbum *ὑλακτῶ* quum metri modum excedat, in *ὑλῶ* verbum ejusdem siquificationis mutavit Hermann Elem. doctr. metr. p. 50. At quid quaeso latrandi verbum hoc loco sibi vult? Quisnam tam sui neglegentissimus atque abiectissimus est, ut suum clamorem serio latratum appellet? Verbum enim *ὑλακτῶ* vel eius primarium *ὑλῶ* primum proprie de canibus vulgaribus et aureis, vulpibus et lyncibus latrantibus, tum tralate de corde, stomacho latrante, deinde de hominibus vociferantibus odiose praedicatur, ut plane Latinorum latrando, nostro bellen respondeat. Ita Electra malis diuturnis exacerbata de matre invisa dicit *τοιαῦθ' ὑλάκτεῖ* El. v. 299, famulus de Hercule, qui potus cantat, *ἄμουσ' ὑλακτῶν* Eur. Alc. v. 760 etc.

Minime igitur, quum clamandi solam vim non habeat, hoc loco est ferendum. Itaque Dindorf *λάκω* proposuit. Sed coniunctivi dubitativi qui vocatur hic nullus locus est neque omnino clamandi aut vociferandi verbum hic requiritur, sed audiendi. Id quod demonstratur versu qui sequitur. Cuius sententia: 'omnia timido strepere', causa est interrogationis de qua disputamus. Corruptum igitur esse *ὑλακτῶ* vel *ὑλῶ* conicio ex *κλύω*. Quo recepto tamen versus nondum est emendatus. Nam pro interiectione *ὢ* legendum est *οὐκ*. Ita versus est

βοᾷ τις· οὐκ ἀκούετ'; ἢ μάτην κλύω;
ἅπαντα γάρ τοι τῷ φοβουμένῳ ψοφεῖ,

sententia: '*clamat quis, nonne auditis? an frustra audio? Omnia enim profecto metuenti strepunt*'. Duo verba idem significantia *κλύω* et *ἀκούω* eodem in versu posita esse non est quod iam defendam.

Versus qui tractantur

Berolini typis Pormetteri.